

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**MONTANO, Giambattista. Ioannis Baptistae Montani veronensis. Medici et publici in Academia patavina olim professoris. De febribus consilia omnia**

*Nuremberg : Ioannis Montanus, 1559.*



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)  
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?00389x02>



IOANNIS  
BAPTISTÆ MONTANI  
VERONENSIS,  
MEDICI ET PUBLICI IN ACADEMIA  
PATAVINA OLIM PROFESSORIS

DE FEBRIBVS  
CONSILIA OMNIA.



NORIBERGÆ, IN OFFICINA IOANNIS  
ANNIS MONTANI, & VLRICI NEUBERI,

M. D. LIX.

12

# CONSILIORVM

## INDEX ET ARGV- MENTA.

De febrī Tertiana sine accidentibus	Consilium 16
De febrī Tertiana simplici	20
De febrī Tertiana duplici	30
De eadem duplici Tertiana	46
De eadem duplici Tertiana	50
De duabus Tertianis nothis	60
De eisdem duabus Tertianis nothis	70
De febrī putrida interpollata	80
De febrī cotinua ex bile & pituita crassa	90
De febre putrida continua	100
De febre continua in grauida muliere	110
De febre putrida cum præfocatione matricis	120
De febre ex uiscerum obstructione post scabiem	130
De febre ex obstructione, in puero	140
De febre continua ex putredine ac magnis uiscerum ob- structionibus orta	150
De Quartana ex recidiua	160
De febrī Quartana	170
De Quartana triplici	180
De Quartana cum lienis duritie	190
De Quartana diuturna cum tussi ac splenis duritie	200
De Quartana cum Anasarca ex febre continua facta	210
De febre Hectica ex putrida facta	220
De febrī putrida quotidiana cum Hectica & Hydrope	230
De eadem febrī	240
De eadem febrī	250
De eadem febrī	260
De eadem febrī	270
De eadem febrī	280
De febrī continua cum catarrho, & sputo sanguinis ac suspitione Hecticæ	290

a 2 DC

De febrī putrida cum catarrho coniuncta in sene	30.
De febre Hectica cum putrida & catarrho coniuncta	31.
De febre continua cum uarijs symptomatis & periculo pestilentia.	32.
De febre Hectica ex pestilenti facta, & cum putrida coniuncta.	33.
De febre pestilenti in Hecticam mutata	34.
De febre continua pestilenti	35.
De febre pestilenti	36.
De febre pestilenti	37.
De febre pestilenti cum pustulis in dorso	38.
De febre pestilenti facta ex Tertianā notha	39.
De febre pestilenti cum inflammatione musculorum pe- ctoris	40.

**Summaria diuisio simplicium februm secundum  
doctrinam Galeni.**

**Ioan-**

De febre continua	41.
De febre continua	42.
De febre continua	43.
De febre continua	44.
De febre continua	45.
De febre continua	46.
De febre continua	47.
De febre continua	48.
De febre continua	49.
De febre continua	50.
De febre continua	51.
De febre continua	52.
De febre continua	53.
De febre continua	54.
De febre continua	55.
De febre continua	56.
De febre continua	57.
De febre continua	58.
De febre continua	59.
De febre continua	60.
De febre continua	61.
De febre continua	62.
De febre continua	63.
De febre continua	64.
De febre continua	65.
De febre continua	66.
De febre continua	67.
De febre continua	68.
De febre continua	69.
De febre continua	70.
De febre continua	71.
De febre continua	72.
De febre continua	73.
De febre continua	74.
De febre continua	75.
De febre continua	76.
De febre continua	77.
De febre continua	78.
De febre continua	79.
De febre continua	80.
De febre continua	81.
De febre continua	82.
De febre continua	83.
De febre continua	84.
De febre continua	85.
De febre continua	86.
De febre continua	87.
De febre continua	88.
De febre continua	89.
De febre continua	90.
De febre continua	91.
De febre continua	92.
De febre continua	93.
De febre continua	94.
De febre continua	95.
De febre continua	96.
De febre continua	97.
De febre continua	98.
De febre continua	99.
De febre continua	100.



IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS,  
 MEDICI ET PUBLICI IN ACADEMIA  
 PATAVINA olim professoris Consilia omnia  
 de Febris.

De Febri tertiana, sine accidentibus Consilium I.



LABORAVERAT QUIDAM FEBRI, quotidianas inuasiones habente, quod forte esset tertiana duplex, huic simplex tertiana successit. Inuadebat autem sine dolore capitis, & sine siti, lingua satis nitida, nec gustus amaritudine corruptus, nec appetitus prostratus erat, tensiones nullae circa hypochondria, nec aluus astricta nimis. Urinae rubicundae quidem, sed in ijs aliqua concoctionis signa erant. Voluit ut singulis diebus mane hora syrupi sumeret:

℞ Trochiscorum de Absinthio ʒ 1. fiat pillula una, & statim hac sumpta superbiberet unam scutellam brodij, in quo decoctae essent herdei,

radicum Petroselinii, Cichorii, Boraginis partes aequales. Postea si uellet, dormiret, ac post somnum excitatus uteretur leuibus frictionibus per totum corpus, id leuiter inungendo oleo Chamamelino, cum aequali uini mensura mixto. Vinum biberet album, aqua cocta mixtum, nec merum, aut forte. Victus bonam rationem haberet, & a frustibus caueret.

De puero qui a febre curatus uidebatur.

Urinas habebat tenues, sine hypostasi, & tensionem circa hypochondria, ut a quartana febre periculum esset, quare ordinauit.

℞ Trochiscorum de Rhabarbaro ʒ 1. fiat pillula una sumenda omni mane, postquam idem iusculum supra descriptum sumat, & eadem uictus ratione utatur.

De tertiana simplici, Consilium II.



EDIT clysterem cum ʒ 2. mellis rosati, post Caisiae ʒ 10. cum Hierae simplicis ʒ 2. postea clysterem altero die iterauit, postea syrupum pro refrigeratione:

℞ Syrupi de Endiuia	ʒ	1.
Syrupi de Acetosa	ʒ	6.
Aquae Boraginis	ʒ	4.

Principio uinum prohibuit, sed post quartum paroxysmum concessit tenue & bene lymphatum. Urinae spumam habebant, id descensum catarrhi ex capite arguere dicebat, & propterea licet febris mitis esset admodum, purgandum tamen corpus excitabat. Vti solebat Montanus in tertiana sine accidentibus pro refrigeratione, decocto Endiuiae, Boraginis, Petroselinii, seminibus Melonum contusis, & ligatis in pano lineo, in brodio pulli, & pro potu aiebat in febris utendum aqua pulli, aqua hordei, brodio hordei, aqua Endiuiae, Acetosae. Et praesertim in cholericis febris intensis esse cogendos ut bibant, dummodo ne in principio paroxysmi & non saepius, ex Gal. S. Method. & 2. de ratione uictus.

a ʒ Potus

## Potus pro febricitante.

℞. Aceti ℥ 1.  
Sacchari ℥ 9.

Decoquantur simul, & fiat oxyfaccharum, cuius tantum misceatur cum aqua communi cocta, quantum placet ægrotanti. Potus est febricitantibus saluberrimus.

## De febre Tertianâ duplici, Consilium III.



**A**liâs admonuimus uos, quòd cum acceditis ad ægrum, primo oportet uos considerare actiones læsas. Non dicitur enim ægritudo nisi appareant operationes læsæ, cum nihil aliud sit morbus, quàm dispositio præter naturam, lædens operationes manifeste. Scitis autem operationes esse triplices, animales, uitales, naturales. Acceditis itaq; iam ad hunc ægrum, quem antequam percontemini, multa debetis uidere, quæ sese uobis offerunt. Videtis enim eum non posse quiescere: ex eo non dubium est, quin aliquid patiatur necessario in sensibus, & in uirtute animali, alioquin quiesceret. Afficitur ergo siue quòd imaginetur aliquid, uel quòd habeat phrenesin, uel paraphrenesin. Non enim potest quiete manere in uno loco, uirtus itaq; animalis laborat. Præterea tangentibus cutim apparet caliditas intensa, ex ipso ergo sequitur, operationes uitales esse læsas. Ex calore enim summo percipimus intemperiem calidam cordis: pulsus etiam sua motione indicat uirtutem uitalem ualde esse offensam. Est uero ea duplex seu triplex potius: quædam in corde, & propter ipsum, & hæc est duplex, ut ira & pulsus. Quædam neq; in corde neq; propter ipsum: ut distributio caloris naturalis. Est enim ob reliquas præter cor partes, & extra cor terminatur, huius etiam actio læsa est: nullam enim dispositionem habet arteria secundum naturam, habet maiorem latitudinem, & est frequentior: non uidetur etiam quies inter ictum & ictum, & adest præterea uelocitas. Scimus autem quòd mutatur pulsus ob necessitatem auctam, & quanto magis augetur necessitas, tanto fit maior primo, & cum non potest supplere necessitatem magnitudine, supplet uelocitate, quodq; hæc non supplet, frequentiam addit, quæ contingit, quando ad summum deuenit necessitas, quæ est ex maximo calore, & per consequens ex maxima febre. Est enim febris calor accensus in corde, & sparsus per totum corpus. Ea q; est febris humoralis, quia magna est inæqualitas pulsus. Alia enim pulsatio alia maior est, quod fit ob multitudinem materiæ aggrauantis. Ita ex pulsu iudicamus affectum esse in corde: ob maiorem caliditatem, esse febrem, ob pulsus inæqualitatem, esse humoralem. Agitatio autem illa (ut diximus) indicat aliquid esse in uirtute animali, seu cerebro. Sed nulla est læsio in sensibus interioribus, bene ratiocinatur & imaginatur &c. Sensus etiam exteriores sani, solummodo circa sensum tactus patitur, sentit enim conuulsationem omnium membrorum ob malam intemperiem, & ob dolorem, non potest permanere in uno situ. Tertium etiam genus operationum læsum est, naturalium scilicet. Quæritur de uentriculo, nam habet punctiorem & tensionem circa hypochondria, nec hæcenus habuimus signum ex ijs, quæ excernuntur, sed ex ijs apparentibus concluditur hoc corpus laborare principaliter morbo uniuersali, uidelicet febre, ex tactu caliditatis & contractione omnium partium, percepta per consensum in cerebro. In uentre uero habet obstructions, scilicet, in utroq; hypochondrio. Habet præterea alia symptomata, uidelicet sitim, dolores capitis. Non possumus autem curare febrem, nisi cognoscamus eam. Est uero hæc humoralis, quia humores putrefiunt. Est ergo putredo prohibenda, & euacuandi humores qui putruerunt, & qui proxime ad putredinē accedunt. Primum autem diuersi sunt humores, quorum quilibet indiget diuersis curationibus, & sunt in diuersis partibus. A quo igitur erit hæc febris, an a pituita, uel bile, aut humoribus mixtis: Indicia propria sunt sumenda. Habemus autem tria capita, ab operationibus



omnibus lætis : pulsus uehemens & magnus, uelox, frequens, & inæqualis indicat febrim procedentem ab humore calido putrescente. Sed quia humor calidus est, uel sanguis uel bilis: & febris inuasit eum cum manifesto frigore durante unam horam, non potest autem esse febris putrida incipiens cum frigore à sanguine qui putrescit in uenis. Est igitur necessario bilis ruffa. Vtrum autē sit sincera bilis aut alteri admixta? Non est credendum, quod sit exquisita, faceret enim Tertianam, sed ista quotidie inuadit, incipit cum maximo frigore, & raro desinit in sudorem, & durat plusquam 12. horas, imò 19. Habet ergo bilem dominantem, estq; ea adusta & facta uitellina, fit enim hæc quando bilis simplex aduritur, & maiora facit symptomata, quam admixta pituita cum bile. Hic autem utrunq; est, quod ex temperatura possumus colligere. Est enim niger secundum totum habitum corporis, & omnia signa tendunt ad adustionē. Habuit plurimas anxietates animi. A cibarijs crassis & malis ac inordinate sumptis plurimi geniti sunt humores pituitosi. Habet etiā multas obstructiones, unde cruditates uariæ. In hoc igitur uiro talis facta est miscella, partim bilis mixta cum pituita, partim adusta, & propterea patitur maximum frigus, & quia bilis putrescit, uapores ascendunt ad caput, & cient dolorem capitis, & sitim etiam causant. Fiat hoc uespere clystere, ut habeat beneficium uentris, ex decocto herbarum, communium, cui addantur mellis rosati ʒ 3. Hieræ picræ ʒ 6. Eductis materijs malis exhibebimus aliquid per os, & mittetur sanguis ad minus ʒ 10. quod si expectabit cras mane paroxysmum, mittatur in uespere.

## De eadem duplici Tertiana Consilium III.



Verunt in hesterno confessu multa omiſſa, quia tempus breue erat, & non uidimus signa omnia. Nunc ex excrementis melius iudicabimus. Vrina in febribus est maximum signum, teste Galeno. Nam putridæ febres ex humoribus pendent, qui sunt in uenis. Nec tantum ex ijs qui humor peccet cognoscimus, sed etiam tempus febris, an in statu sit uel augmento, à quo etiam magna est indicatio. In urina igitur considerantur, primum quantitas. Hic multa est urina, id fieri potest non ratione morbi uel temporis, sed etiam, quia multum potauit, idq; partim ex urina discernitur, partim ex interrogatione. Ego hunc interrogauit, & dicit se bibisse multum aquæ: licet igitur potus multus ad hoc iuuet, non tamen tota causa in eo est. Est enim color urinæ aureus, qui excedit à temperato. Secundo color consideratur. Vrina naturalis habet colorem paleæ hordeacæ. Hæc autem magis tinctæ est quam oportet, quare arguit caliditatem & siccitatem, nam multum recessit. Quod si tantum ratione potus esset, non sedimentum haberet, nec colorem nec coctionem, quia in potatione, urinæ sunt crudæ, hic magis est ratione morbi, sed potuit à potu iuari. Substantia tertio loco consideratur, quæ tendit ad tenuitatem potius, quam crassitudinem, est tamen satis temperata, præsertim tertia illa. Nam duæ aliæ crassiores sunt, & ferè corruptæ. Quarto, liquor qui à substantia distinguitur. Nam substantia dicitur quæ partes multas crassas, & terrestres admixtas habet. Liquor est, quando habet lucidum uel obscurum, id est, luciditas & obscuritas in liquore considerantur. Sunt autem quædam crassæ, sicut aqua putrefacta, & turbida, aliæ minus crassæ, aliæ lucidæ. Hæc quoad liquorem est lucidior, id est, magis splendida, quam obscura, quia transparentis est. Quinto Hypostasis seu sedimentum seu contenta considerentur. Hic est uelut nubes subcandida, referens nubes colore, substantia & loco, quia color albidus ut nubis, & substantia etiam qualis est fumus, & leuis quia in superficie. Hæ sunt omnes differentie in urina. Iam accommodabimus repetendo. Vrina multa est ratione morbi, ut mihi uidetur. Quærat aliquis, quia hic tensio in utroq; hypochondrio, quomodo deueniat humor ad uias urinæ, quomodo potest fieri distributio, cum tanta sit



obstructio, ut tactu appareat, potius deberet esse pauca urina, & multæ egestiones liquida, cuius hic totum oppositum est, quia per quinque dies nihil egessit. Respondeo, humores qui putrescunt sunt procul dubio extra uenas, cuius signum est inseparabile, quoniam incipit hæc febris cum frigore. Heri circa 23. fuit in augmento febris, habebat intensissimum calorem. Hodie circa 17. frigus sensit, & horrorem. Nunc hac hora est remississima febris respectu hesternæ. Ex his signis igitur patet, quod sit febris talis, quæ pendet ab humore bilioso, sed non puro, quia pituita admixta est, eam Arabes maioris famæ appellant, Quoties uero bilis simplex aduritur fitque crassior, & uitello oui similis, atque uitellina apud Græcos uocatur, eam Arabes bilem minoris famæ uocant. Estque ita in nominibus differentia inter Arabes seu Auicennistas, & Græcos seu Galenistas: Rem utrique eandem concedunt, sed diuersis appellant nominibus. Et de his postea altercantur recentiores, cum non recte intelligant sententiam authorum. Sunt igitur duo diuersi humores, qui putrescunt, & ideo diuersi etiam sunt paroxysmi. Mane paroxysmum cum frigore habuit, qui non terminatus est in sudorem, nocte postea inuasit cum frigore, & concussione magna, cui successit calor, & tandem desijt in sudorem, quod signum est bilis siccioris. His stantibus, dico de urinae multitudine, de qua dubitauimus, quod cras forte non uidebitis tantum urinam, nam humor qui putruit hac nocte, fuit tenuis biliosus, & ferè proprium bilis est, ut per ruinam excernatur. Vbi igitur febris à bile pendet, plurimam per sudorem & urinam crissim facit, non obstantibus obstructionibus. Cras erit alius paroxysmus, quare non tot urinas uidebitis. Sed cur aluum habet astrictam? In obstructionibus sunt hypochondria calida, quia circa illa plurimæ materiæ putridæ. Fiunt etiam ex intestinis suctiones multæ, quia partim à feruore attrahitur (quando non est perfecta obstructio) humidum, pars aliqua transit ad uias urinæ, & illa quæ remanent in intestinis exiccantur, ita dura fit aluus: oportet ergo lenire aluum. Nam propter calorem hic fuit multæ feces adultæ. Quod ad urinam colorem, substantiam, liquorem attinet, omnia ab eadem radice nascuntur. Hodie est subtilis, quia bilis putruit, & quia bilis, ideo urina subtilis est & lucida: Cras non ita fiet: tenuis & lucida, aurei coloris, quia putrescit bilis minoris famæ. De Hypostasi nolite temere iudicare, & pronunciare de coctione, ut multi faciunt, qui tantum nebulam ubi uident, statim de coctione pronunciant. Imò non omnis nebula, etiamsi sit alba, est bona, & hypostasin significat, quandoque enim maiorem cruditatem arguit. Si penderet febris ista à pura bile, esset unum certissimū signum & optimum, sed quia bilis ista habet multam pituitam admixtam, certe erit pituita, quæ hic Hypostasi assimilatur, quia pars terrestris Hypostasis, & de Crisibus, ubicunque apparet hypostasis in urina, proportionatur puri in loco inflammato, in quo partes subtiliores resoluuntur, reliquæ manent. Sed omne pus graue, ergo omnis hypostasis grauis, & in fundo erit. Nec semper habet ueram coctionem, ut hic, quia est crassa quædam pars, ideo in fundo residet. Vera autem hypostasis est heterogenia, & habet partes diuersas, partem terrestrem, aqueam & igneam ubi magis constringitur, & ideo habet formam pyramidis. Hic nihil tale apparet, est tamen alba hic, quia multus aer intrinsecus, unde apparet alba nubes & diuisa: nec descendit, quia multus aer sustinet eam, & longe est à coctione, & oportet ut tollatur ista nubes, & non conspiciatur, si uolumus recte hunc curare, quia hæc nubes signum est pituitæ cum flatibus, nec temere ex ea iudicandum. Atque hæc febris continua est procul dubio, & eò magis maligna, quia continua, habet tamen quotidie duos paroxysmos, unus mane inuadit, quando cholera cum pituita putrescit, quæ dici potest cholera maioris famæ, cum frigore remisso & calore maximo. Circa horam quintam noctis habet alium paroxysmum ab iisdem humoribus, sed magis ad puritatem pituitæ tendit, & pendet à cholera minoris famæ. Dubitatur an humores in uenis putrescant. Febris continua sine typo habet humorem putrescentem in uenis. Forte quod hæc febris, est una ex istis tribus hemitritei speciebus, de qua Gal. 2. Crif. Volo autem melius uidere paroxysmos. Quid agendum? Heri debebat fieri clystere, & est factum,



factum, imò hodie etiam mane. Mittendus est omnino sanguis, quia intentiones omnes adsunt, ut Galenus de sanguinis missione docet, est magnitudo morbi, in ætate adolescentiæ, uirtus constans, habet putredinem, in uenis obstructionem, febrem continuam. Ergo phlebotomia nihil præclarior, aperientur enim uix, natura subleuabitur, rarefiet corpus, obstructiones soluentur. Sit autem regula: Nunquam mittatis sanguinem, ubi est cruditas in primis uenis, quantum enim trahetur sanguinis, tantum ad uenas trahetis de humore crudo, & augebitis obstructiones & putredinem. Quare primo purgandæ superfluitates in primis uenis. Minoratiua optima sunt, quæ tollunt eas, & dicunt quidam non exhiberi recte, & ex mente Galeni. Sed errant isti, & non intelligunt Galenum, quia regula propria carent, id est, methodo. Nam ut quælibet ars habet suam regulam propriam, sic nos nostrum perpendiculum habemus, nempe methodum, qua omnino nobis opus est. Utamur igitur minoratiuis, ut & Arabes usi sunt, quia magni uiri erant, & intelligebant methodum Galeni. Si 3 1. calsiæ daretis, non transiret nisi ad primas uenas, & non purgaret corpus, sed purgaret uenas tantum. Ideo dici minoratiuum potest. Grana duo Diagridij, quæ turbarent & non purgarent, non recte daretis. Debet enim ita proportionatum esse corpori minoratiuum, ut non euacuet nisi à uentriculo, & uenis propinquis, aliàs uitium esset, qualecunq; sit. Drachmæ duæ electuarij de succo rosarum rustico pro minoratiuo dari possunt, nobili non tantum, semper debent obseruari mores. Heri dedi 3 3. melis rosati, & Hieræ 3 s. pro clysteri, & nihil ferè eduxit.

Ideo 3. Elect. de Sebesten solutiui 3 10. Fiat bolus cum saccharo, sumendis tribus horis ante cœnam. Hic enim est rusticus, corpus robustum, & amplis uenis, oportet à primis uenis euacuare. Semper autem sic electuariâ consideretis, non tantum, quod habent in titulo, in quo scribitur, ad hoc ualent, uel ad illud, sed ingredientia debent obseruari ab artifice. Considerate quomodo sint confecta, quia in lingulis 3 sunt tria gra. Diagridij in isto electuario, ideo in tota ea medicina non transimus 4. gradubito ne sit leuior pro rustico, quàm deberet, sed in nobili delicatiori non utamini pro minoratiuo.

#### De eadem duplici Tertianâ. Consilium V.



**H**ospitali duo uideri possunt, & exerceri: Primo ægritudines & symptomata, deinde aliud genus exercitij, quod utilissimum est, & assuetaciet nos ad tolerantiam. Quia nihil hic fit quemadmodum nos præcipimus, idq; non solum hic, sed alibi semper uobis occurreret, ut nec æger sit obediens, nec illi qui adsunt faciant, quod debeant. Octies egeffit sponte hac nocte, sed quæ materia peccarit, uel utrum fuerit concocta, & motus fuerit criticus, non possumus iudicare, quia excrementa non uidimus, est tamen probabile, tam copiosam egestionem nec critique nec symptomatice, nec mixte factâ, sed propter clysteres natura irritata operata est. Ista tamen sit coniectura, quia non uidi excrementa, nec dominium naturæ, etsi uidetur subleuatus; nunc est in paroxysmi declinatione, quod inde colligitur: primo, cum tangitis extrema, habet calorem in omnibus partibus extremis, etiam in pedibus (quod est magnum signum declinationis) intensum quidem, sed non acrem aut mordacem (illud enim non esset signum declinationis, cum in statu etiam in extremis sit talis) uerum satis magnum, sed tamen cum quadam humiditate quam percipitis cum tangitis hypochondria. Secundo, quod est magis artificiosum, ex pulsu cognoscitur declinatio uera paroxysmi: in principio paroxysmi pulsus contrahuntur & sepeliuntur quasi, quia systole maior quàm diastole, quod putridi uapores occupent cor, & cor cupiat euentari, ut fugiat incommodum. Id fit tantum constrictione ut expellatur excrementum, & expulsionem magis, quàm attractionem indiget, quia per contractionem natura tentat excrementa expellere in principio, & quod magis febris pendet à crassis humoribus, tanto maiori uis expellere conatur. Vnde in febribus quæ à melancholia, pituita, & bile notha, seu maioris

famæ



famæ penitent, magis sepultus est pulsus in principio. Per oppositum igitur, quando vapores sunt consumpti, cor liberatum ab onere, recreat sese, quia iam excalescens fuit & ferè exustum, eget non tantum euentatione, sed nouo aëre. Fit ergo magna dilatatio in fine, sicut in principio magna constrictio, & tum pulsus occurrit tactui cum magna dilatatione, ut durus uideatur, cum tamen non sit. Oportet igitur dignoscere differentias, quia multi decipiuntur. Nam uterq; resistit tactui & uehemens & durus. Vehementia fortitudinem significat uirtutis; quanto magis premitis, tanto fortius resistit cum motu uehementi, & percutit. Durus resistit quidem, sed non cum motu uehementi: uehementiam igitur oportet considerare, quam premendo percipietis. In hoc corpore est magna uirtus, potest omnia operari. Nam ubi uirtus fortis, cū magnitudine, uehementia, uelocitate, & tandem cum frequentia se ostendit. Sed hic non est indicium frequentia, ubi enim uehemens est pulsus, raro est frequens. Virtus enim robusta una dilatatione multū proficit, sicut uos etiā faceretis (comparat enim Galenus pulsū cum motu hominis onus ferentis) onus quod una uice portare potestis, non portabitis duabus. De agendis. Erasmus missuri sanguinem, sed quia iam febris declinauit, & euacuatio copiosa facta est, nec ita morbus magnus, interim subsistemus. Circa hypochondria, ut tangatur, pati non potest; istis igitur obstructionibus ut occurramus studendum. Dabimus primo non proprie aperientia *εκαφρακτικα* dicta, est enim infarcta materia in uenis, obstruens meatus. Quaecunq; igitur aperiant, remouent materiam infarctam. Sed hic obstructio in uenis Mesaraicis, & illis, quæ ad splenem tendunt, ea ut aperiantur, non sunt danda per se aperientia uel repurgantia *εκκαθαρτικα* (ut alij uocant) quæ cum crassitudine substantiæ aperiant, ut amara, quia humores adusti sunt. Et talia quæ cum crassitudine substantiæ aperiant, longe plus exiccant, quàm calefaciant. Et febris si curari debet, cum frigidis & humidis curari oportet. Non igitur ita audacter hæc faciemus. Meliora sunt, quæ incidendo & penetrando aperiant, ut est oxymel, quod proprias uires habet refrigerandi, constat ex aceto & melle. Mel calidum in secundo gradu 7. simpli. medic. acetum remisse frigidum, & tamen 4. simpli. medic. id plus refrigerare dicit Galenus, quàm mel calefaciat. Sed hoc uidetur contra rationem, & id quod *κατα γέν*, inquit, ubi calidum in secundo, cum frigido in primo miscetur, calidum remittet suam qualitatem propter frigidum. Sed recte & optime loquitur Gal. & ex ueris ac rectis principijs. Ad hoc enim ut aliquid calefaciat uel refrigeret, duo requiruntur. Primo ut possit ad actum facile reduci. Secundo ut penetret. Si iam componatis mel cum aceto, hoc penetrat per singulas partes, nam etiā lapides penetrat, & usq; ad profundū refrigerat. Ideo bene dicit Mesue de syrupo acetoso, eum penetrare. Recte igitur Galenus dicit longe plus refrigerare acetum, ob penetrationem scilicet. Aperiemus igitur oxymelle, sed quia diuæ grotauit, non utemur simplici sed composito. Quare hoc modo facerem:

℞. Oxymellis cum duabus radicibus	℥.
Mellis rosati	℥.
Aquæ Cichorij	℥.

Quæ refrigerat calefactas partes, calefacit refrigeratas, ut dicit Mesue: quia mediocria & temperata ad extrema se habent tanquam contraria; quia non multus excessus frigidi aut calidi, ad extrema se habent ut medium. Non multum utamini aquis destillatis, quia omnes frigida. Ego tantum unam accipio in syrupis, quia manifestum nugamentum est eorum, qui congerunt multas aquas destillatas in parua quantitate, & hanc uni præferunt. Beneficium uentris habeat quotidie, & utatur syrupis. Cœnam sumat hora 23. ut sit leuis, si mane uehemens paroxysmus superueniat. Euacuationes materiæ peccantis in quanto ita sunt foelices, ut satis indicat felix euentus, quia heri parum febricitabat, nunc nihil. Et urina tota est perturbata, cui etiā humor multus subsistit, qui ita euacuatur, est albus cum aliqua citrinitate, indicat ergo pituitam cum bile. Quare nihil operabimur noui, sed expectabimus euentum foelicem.

De duab



## De duabus Tertianis nothis,

## Consilium VI.



**V**T continuemus ea quæ docemus in cathedra, cum ijs quæ apparent circa ægros, non abscedemus ab ijs quæ diximus hodie. Accessimus ad hunc ægrum, quem supponamus esse uirum nobilem, cum nihil ab eo differat, nisi fortuna. Quid faciendum? Collegia bonorum uirorum sunt consultationes, ad cognoscendos, & curandos morbos, ac considerata prognostica, de euentu morbi, non fiunt ad iactantiam & ostentationem. Qui se autem tantummodo ostentant, illi sunt impostores & fallaces, ideo nihil eis succedit. Quæ enim sine dolo fiunt, succedunt prospere. Deceptores non diu durant, & si ij eorum fiunt pauperes, quod ego sæpe uidi. In omni igitur ægritudine debetis loqui cum hominibus doctis, uel uobiscum, ut cognita natura uel ægritudine curam inueniatis, & conari id, ut exprimatis ueram sententiam. Qui addere potest pulchritudinem, & ornatum uerborum, non malefacit. Ergo in omni collegio uos ad tres fontes dirigatis. Primo consideretis dispositionem naturalem. Secundo præternaturalem, seu dispositionem ægri præsentem. Tertio aëris dispositionem præsentem. Accessimus hunc curaturi; ergo remouere oportet quicquid est præter naturam, & sic habetis scopum generalem curandi. Incipio ab effectu secundum naturam, qui apparet exterius in colore & habitu corporis, sed is cognosci non potest in hoc, laborauit enim integra hyeme, oportet igitur ad alia accedere. Et primo uidenda est soliditas membrorum, musculorum, uenarum exteriorum, quæ non facile destruantur, nisi tabescant homines. Videtis ergo, an musculi duri, solidi, amplii; uenæ & arteriæ amplæ, pulsus etiam qualis. Hæc hodie iudicari non possunt propter manuum frigiditatem. Habet pilos mediocres, & colore naturali, cutis alba, & pili, loquitur prudenter & ingeniose, quia quædam uerba profert, quæ ingenium sapiunt. Debetis etiam interrogare de consuetudine, de moribus ab eo, uel absidentibus, quam artem exerceat, an habeat aliquid à natura propriij, ut si abhorreat à caseo, uel uino &c. Vbi hæc sciueritis, facietis catalogum omnium, & postea ordine procedite: Præponatis ea, quæ foris apparent, & texetis ita simplicem historiam. His uisis, postea quæ attinent ad dispositiones naturales considerate, qua in regione agat, qua in cõstitutione aëris, si frigida, humida, &c. Si in uere iam sumus, & præcessit hyems, qualis fuerit frigidissima ne & humida &c. Hæc quantum ad dispositionem aëris. Tertio, res præter naturam apparentes simpliciter considerabimus nihil apponendo, ut nunc ille habet frigiditatem membrorum exteriorum, uel inæqualitatem etiam, habet retractionem pulsus. Sic oportet incipere à fontibus signorum. Meo tempore, cum eram iuuenis sequens in practica Montagnanam, Forouliensem, Matthæum Brocardum, Cæsarem Neapolitanum, qui tunc erant clari, modus proprius in collegijs confusus habebatur. Primo temperaturam proponebant, antequam signa apparentia ponerent, & notum per ignotum ostendere uolebant, ordine præpoltero. Et ubi temperaturam considerabant, ad ægritudinem accedebant, post signa dicebant eius morbi, ex Auicenna, siue adessent, siue non, aliquando uiginti dicebant signa, & cum accessi, uix duo reperi. De aëris dispositione plane tacebant. Hoc est cæcum iter. Vos primo dicetis, quæ signa appareant, ea quoque accidentia dici possunt, ad diuersa comparando, & postea causæ singulorum accidentium uidendæ, & sic discurratis ordine Methodico per accidentia. Ut in cerebro duæ uirtutes seu operationes sunt motus & sensus. In motu nihil hic impedimenti, sensus interiores uero suas uires quoque integras habent, optime discurret, imaginatur, memoratur. Exteriores quoque sensus boni. Dolor, seu actio læsa in uirtute tactiua, apparet in capite, quæ alijs horis plus, alijs minus affligit. Deinde uidendæ uirtutes uitales in corde, ut an constantia mutata sit, quod non credo. Item, operationes extra cor, ut hic retractio pulsus maxima, dilatatio

ferè



ferè nulla, plurimum contrahitur, & minime resistit. Naturales uirtutes postea considerandæ. Habet rugitus, non bene concoquit, nec egerit. Hæc sunt symptomata. Quantum ad excrementa, sunt mutatae urinæ, tendunt ad purpureum colorem, est rubedo obscura, liquor limpidus, & multum lucidus, substantia tenuis, contenta multa sunt. Non habet spumam, nebulam, sedimentum in fundo. Accidentia circa qualitates uisibiles. Est uir pallidus multum, circa tactum, habet frigiditatem multam. Ita procedatis in alijs, & alijs qualitibus. Circa quantitatem, diminutus est, quia non ita carnosus. Sed sciendum hic extrinseca accidentia non ita semper considerari, nisi insignia ea recitentur. His tandem cognitis, quomodo inuenienda cura? Incipiatis à primo, & scietis temperaturam aliarum partium corporis. Diximus eum musculos magnos habere & solidos, hoc signum est caloris bene concoquentis. Temperatura enim hepatis, facit temperaturam aliarum corporis partium. Animal enim uiuit prius plantæ uitam, cumq; homo generetur à suo semine, & sanguine, semen (ut Aristoteles uult) ingreditur ut actor, ut Medici, magis formaliter, & ex parte materialiter etiam. Quicquid sit, principium atq; fundamentum generationis est hepar, licet cor & cerebrum etiam, tamen ex hepate per uenas habetur maxima pars sanguinis, & secundum eius formam generatur animal, tale, uel tale. Si sanguis calidus, generatur corpus calidum. Atq; hoc modo tota temperatura ab hepate oritur. Quia igitur hic muscoli crassi, & uirtus sanguificatiua bona, fuit multitudo formæ feminis in ortu, & postea semper optime nutriti, sunt igitur ampli ob multum calorem, solidi ob bonum nutrimentum. Est ergo hepar calidum, quod attinet ad qualitates actiuas. Et quia orta attestantur suis principijs, uenæ amplæ, pili mediocres, ipsi etiam caliditatem testantur, sicut glabrities frigiditatem. Pili tendunt ad albedinem, quod significat caliditatem moderatam, & cum humiditate mixtam. Arteriarum amplitudo cor indicat calidum. Est autem modestus uir, ergo caliditatis moderatæ, hepar enim modificat omnia: est boni ingenij, bene compositus. Hactenus considerauimus omnes dispositiones naturales, & sic uos facietis, quotiescunq; acceditis ad agrum, secundo aërem, tertio dispositionem præter naturam. Nam & Aristoteles uerus pædagogus Medicorum, & artifex methodi, docet à notioribus procedendū. Et ea uia nobis innata est, ut ex ijs quæ extrinsecus apparent, primo notionem sumamus, & ab illis occulta colligamus. Ita ex supra dictis, quia in eo est robur & subrufum & album corpus &c. ostendunt in eo temperaturam calidam, & humidam, albedo humiditatem, magnitudo uenarum & arteriarum caliditatem. Aër sensu percipitur, ideo in eo non est multum artis. In affectionibus præternaturalibus semper per hos tres fontes discurratis: Primo, per uirtutes animales motiuas, in ijs nihil patitur: deinde sensitiuas interiores, illæ etiã sunt integræ, postea sensitiuas exteriores, ex illis uirtus tangendi læsa est, in capite enim dolorē sentit. Secundo per uitales, oportet inquirere an iracundus sit, nec ne, an magna uel uilia cogitet? Si prius constans fuerit, iratus &c. nunc uero segnis, lenis &c. Illud enim signum est cordis refrigerati. Et ex motu arteriarum etiam percipitur, si sit facta aliqua mutatio. Pulsus non ita contractus, ut prius, significat augmentum. Totum enim tempus, quo pulsus contractus est, & calor non extensus, est principium, quando uero extenditur, est augmentum, & tandem declinatio. Excrementa etiam consideranda. Urinæ quantitas multa, in modo substantiæ limpida est, & tenuis, & lucida. Hæc enim differunt, nam multa tenuia non sunt lucida, ut aqua, & urinæ tenuissimæ, & tamen pallidæ, & subobscuræ: si coloris lactei esset, non foret diaphana, quia tale suscipit lumen per totum corpus. Contra quædam crassa sunt, & tamen transparentia. Hæc uero urina tenuis est, & transparentis, color aureus intense, tendens ad rubedinem, quod signum caliditatis: quia urina uera deberet esse colorata, ut palea hordei, ubi excedit eum colorem, significat superfluitatem caloris, secundum gradum, quo excedit. Contenta paucissima, nullus odor, gustare ego non cupio. Hypostasis nulla, sed tenuis nubecula. nec in fundo, nec in superficie, sed infra medium. Accidentia circa qualitates tangibiles: habet extrinsecam  
frigiditatem



frigiditatem, intrinsecam caliditatem, asperitatem cutis, quia scabiosus. Hypochondria tantum recte se habent. Circa motum febris singulis uesperis exasperatur cum in aequalitate, paroxysmum longum habet. Non queritur de siti, aut uigilijs aut inquiete, sed tantum de dolore capitis.

### De eisdem duabus Tertianis,

#### Consilium VII.



Eri uidimus omnia accidentia quæ præter naturam, & quæ secundum naturam sunt in hoc ægro: In actionibus animalibus læsio est. Dolor capitis perseuerans, dolor dorsi pertingens usq; ad spacium inter uesicam & anum. Pulsus iam apparet paruus circa differentiam magnitudinis, secundum profunditatem & latitudinem, nec secundum longitudinem æqualis. Videtur immutatus, deberet altum, magnū pulsum habere, quia non transit 30. annos. Et adhuc adolescens in flore ætatis, nunc habet paruū, uelocem, frequentem, inæqualem, sistematicū, modo paruū modo inæqualem. Quod ad naturales, male concoquit, excrementa non uidimus, sed urina est fulua sine hypostasi. Patitur præterea aliud malum, non potest bene mingere, nisi quodam ingenio, oportet enim decumbere ut mulieres. Et habet etiam ardorem urinæ: Reducamus igitur illa omnia symptomata ad suas causas, ut uideamus quid possit resultare. Est autem hic catalogus accidentium: Dolor capitis quem patitur per totam hyemem, dolor dorsi, ardor urinæ, febris quæ quotidie inuadit. Videamus si sit horum omnium una causa uel diuersa, & si una quæ sit, incipiendo ab excrementis. Color urinæ indicat calorem hepatis & renum, Cum renes incalescunt, replentur multis excrementis, semper sedimenta apparent, dilatantur enim, & fit colatura rerum crassarum & adustarum, & semper uidetis nigrum & adustum subsidere. Si hepar calidius, multum bilis generatur. Præterijt hyems, in qua generatum est multum pituitæ, & uixit ut potuit, omnis generis cibos uorans, & habet uentriculum debilem. Ratione intemperiei hepatis multa bilis est generata: ratione uentriculi male concoquentis multum pituitæ. Est perpeffus frigiditatem, quæ poros constrinxit cutis, & prohibuit transpirationem, unde putredo generata. 3. de loc. aff. qui in uenis habent excessum caloris, parati sunt ad hoc, ut eorum caput uaporibus repleatur, qui cum calidi sunt, quotidie faciunt dolorem capitis, & iuuat ad hoc uentriculus, in quo multæ cruditates. Permiscetur uapores crassi, qui non facile diffiantur, sed retinentur in membranis: ita inuentis causis sequuntur accidentia, dolor perpetuus capitis, Dolor in dorso, qui in spina descendit ad profundum ossis sacri, & attingit locum inter uesicam & anum. Quæ causa? Repleto existente capite, calido hepate, cum distribuitur ille humor per uenas, per concauitatem dorsi, peruenit etiam ad locum, ubi dolet iste uir, qui uel onera portauit, uel passus est frigiditatem ab aliqua re extrinseca, quam ipse nescit: pars debilis facta. Aggregantur ibi humores, & tendunt ad os sacrum, itaq; circa collum uesicæ est ille affectus, & est segnior propter cruditatem humorum. Aliquando non potest mingere, sed cum decumbit dilatatur meatus, & facilius mingit. Ardoris urinæ duæ causæ sunt immediatae per se, uel ob exiccationē, id est, priuationē humiditatis, uel acrimoniam urinæ, quia multum bilis mixta est. Auicenna refert alias causas, sed non sunt propriæ, interdum uiscosa materia obstruit meatus. Iste non est usus coitu, qui posset exiccare glandulas istas, sed urina acris est, propter multum bilis admixtæ, ut in urina apparet. Causa doloris dorsi est, quod uapores ascendentes ad caput per uenas, iterum delabuntur ad dorsum 2. facul. nat. pars debilior semper recipit, etia

b pit, etia



pit, & si nescimus causam debilitatis, ex eo arguere possumus, quod sit debilis, quia recipit: semper enim aliqua pars corporis debilis est à natura, ad quam aggregati multi humores decumbunt, ex uenis etiam ad renes humores ducuntur, & ibi exiccantur, postea ad uesicam: ea enim recipit uenarum excrementa, Testiculi etiam quia calidiores, dolent; & ita credo ab eadem causa omnia symptomata procedere, id est, à pituita permixta bili, quæ etiam causa febris, quæ singulis diebus inuadit inæqualiter (qui Typus pituitæ proprius) sicuti ubi alternis diebus accessio fit, est Typus bilis proprius, ubi putrescit pituita dulcis, inæqualitatem tantam facit, sicut in hoc homine paroxysmus inuadit, ut uix percipiat. Vix mordacitatem percipitis in pulsu, & paruus est respectu aliorum, quod ab humore crasso pendeat, & rigorem etiam non percipit, quæ omnia arguunt pituitam ad dulcedinem declinare: sed ex siti & uigijs colligitur etiam aliquid bilis admixtum. Habetis causas omnium symptomatum, & dispositiones totius ac febris, atq; ex prædictis totam historiam habetis. Patitur magnam intemperiem, in compositione nihil patitur, nihil enim tangere potestis ad hypochondria, Si est aliquid, est obstructio intrinseca. Ergo est temperatura præter naturam, quæ duplex est: Sine materia & cum materia. Hic utramq; habet, scilicet in hepate, ubi generat multum bilis: habet etiam frigiditatem in stomacho, ubi generat multum pituitæ, & plus quam expedit. Hinc fluxus materiei sequitur: tam aggregat bilem & pituitam, quæ ubi permiscentur, faciunt obstructiones in uenis, & febrem putridam, quæ etiam inuadit singulis diebus. Ego credo quia alternis diebus magis exacerbatur, quod habeat duas Tertianas: ut primo tertius, & secundo quartus respondeant, licet enim singulis diebus inuadant, tamen ex accidentibus cognosco, non esse æquales exacerbationes, sed sibi correspondentes: sæpius igitur accedendum erit, & obseruanda symptomata. Habetis causas symptomatum, collum uesicæ non totum obstruitur, quia pituita subtilis adiuuante bile facile abstergitur, pituita enim lubrica est. Obseruate post causam, febrem ipsam. Sunt autem duæ Tertianæ, & Tertianæ nothæ. Crederet quis quotidianam, cum non sit,

### De febris putrida interpollata.

#### Consilium VIII.



**C**VM ACCEDITIS AD AGRVM QVEM antea nunq; uidistis, & uultis cum eo loqui: semper ita est faciendum, ut ego soleo. Primum quæ manifeste apparent signa, ab eo colligite, ex quibus postea occulta, quæ interiorius sunt, & quis sit morbus, percipietis. Postea cognito morbo subiecto, ad uirtutem accedendum, de nique ad materiam. Primum igitur quæ exterius sensibus apparent, consideranda sunt, pulsus, urina &c. Non faciendum ut imperiti faciunt Medici, qui suspicantur tantum talem febrem esse, & in suo cerebro fingunt, & applicant signa consona, cum plerumq; non adsint. Caueatis à talibus, si uultis esse Medici digni Hippocrate. Ne recedamus ab ijs quæ apparent. Primum pulsus in hoc iuvene satis æqualis & magnus est: in frequentia non multum excedit, imò potius ad raritatem tendit: non etiam uelox multum, sed temperatus, fortis, ualidus, nullam habet inæqualitatem. Hæ differentiæ sunt in hoc pulsu, & sensui apparent. Urina citrina, substantiæ crassæ, perturbatur facile: non multa, quantum ad quantitatem: quo ad liquorem, satis lucida: odorem non habet, nec foetet. Tetigi hypochondria, præcipue sinistrum, quod tensus est quam dextrum. Habet scabiem crassam, & humidam, multum uigilat, dolet caput, paroxysmis quotidie affligitur, sed alternis diebus plus sinit.

Om



Omnia eiusmodi debetis colligere & considerare, ut ex ijs, quæ exterius apparent, ad ea quæ interius sunt accedatis. Incipiamus igitur à primo signo à nobis collecto, nempe à pulsu. Pulsus magnus est, non uelox, nec frequens. Quando pulsus magnus, uelox, creber, tunc febrem indicat: & putridam, si inæqualis. In hoc iuvene pulsus magnus, quia est sanguineus: quare ratione temperaturæ & ætatis etiam magnus est: & ea magnitudo ei est secundum naturam. Quod si essent ex calore putredinali, esset auctus motus & uelocior: nec uirtus aggrauata est à materia, quod solet indicare inæqualitas pulsus. Exemplum dat Gal. de porratore, quod sæpe retulimus. Et bene sequitur, non habet inæqualitatem in pulsu, ergo natura non est grauata à materia, quod etiam pulsus attestatur, super calorem naturalem auctus uel non auctus, mutatus uel non mutatus. Hæc de pulsu, unde colligere debetis, non esse febrem continuam, sed interpolatam, quia non habet differentiam attestantem super continua. Urinæ color hic non est naturalis: debebat esse palearis, id est, sicut palea hordei, is esset naturalis: sed hæc urina transcendit eum colorem. Nec est extrinseca causa: non equitauit, nec se exercuit multum, ergo est à causa intrinseca. Et is color super humorem attestatur, quia aliqua bilis potius tenuem urinæ facit substantiam: pituita uero crassam, uel sanguis etiam pituitosus: sed pituita proxima causa urinæ crassæ: ergo concluditur, quod humores crudi, crassi & pituitosi sint in illo corpore. Est ergo bilis & pituita, possunt enim simul dominari, propter diuersitatem membrorum, ut cum uentriculus frigidus pituitam multiplicat, & hepar calidum bilem, quod non raro fit. Est & pauca urina, quod fit cum quis uel parum bibit, uel ex obstructione in uasis urinarijs, uel ex siccitate & caliditate multa laborat. Hic credo (debemus enim caute iudicare) potius esse ex obstructionibus multis, quod uenæ obstructæ sunt ob crassos humores: non quod caliditas exiccet, quia haberet febrem maiorem, sed ob obstructionem. Est sine hypostasi urina, quod significat sanguinem esse crudum, & nullam habere coctionem, unde tempus morbi significatur, quia uidelicet sit in principio. Sic igitur ex signis colligitis: ex pulsu, quod febris interpolata: ex urina, causam materialem ex bile & pituita, & quod tempus morbi sit principium. Hypochondrium inflatum indicat materiam in eo latere collectam esse, uel in musculis exterioribus, longitudinalibus uel transuersis, &c. uel in uenis, quod magis hic credo, & in substantia splenis, quod humor in profundo percipitur. Habet porrò uigilias & sitim, quid inde iudicamus? Omnia concurrunt. Audiuitis hic bilem esse, & paroxysmum qualibet nocte. Est autem causa uigiliæ primo siccitas, secundo caliditas: somnus enim præter naturam primo fit à frigiditate, postea ab humido: sed somnus naturalis primo fit ab humido, postea à frigido. Hic uigilat, quia uapores sicciore & adusti magis ex bile ascendunt ad caput, quia tenuiores. Iam ex illis plus nocimenti habet quam ex pituita, & cerebrum etiam incalescit, propter paroxysmos quos habet noctu. Sitis etiam concurrit & attestatur: habet enim bilem & siccitatem causantem sitim. Dolor etiam capitis conuenit, fit enim is ex uaporibus calidis. Ex his igitur omnibus colligitis uera esse, quæ ex urina & pulsu antea collegimus.

### De febre continua ex bile & pituita crassa.

#### Consilium IX.



Ille quidam natus annos quadraginta, circa uesperum passus est maximum rigorem, ita ut uir robustus difficulter ob imbecillitatem domum redire posset. Durauit rigor quatuor horis, & secutus maximus calor per totum corpus, qui continuo durauit, usque ad quartum diem. Vocatus est Montanus, qui reperta febre continua & feruentissima, pulsu magno & inæquali & pleno, urina rubicunda, & crassa, sedimento crasso, considerata summæ uirtutis constantia, & morbi quoque uehementia, aperuit basilicam dextræ

b 2 lateris



lateris, & eduxit ferè 3 s. sanguinis subnigri crassiq; cum multo liquore cholericò: aderat ingens sitis, dolor capitis uehemens, defluxus à capite ad pectus & uentriculum. Quinto die ægritudinis iussit fumere casia recentis, & electuarij de sebesten, ana 3 6. in bolo cum saccharo, quem ante exhibuisset, nisi audiuisset eum pridie beneficium uentris ter uel quater habuisse. Hoc minoratiuo, multa cholericà, ac uitro similes humores crassos uiscidosq; eduxit: & quia à prima statim febris inuasiōe, cum ad dormiendum se componebat, & claudebat oculos, uidebatur alienatus, & secum murmurabat, putabat se plurimos uidere homines ambulantes in cubiculo: ideo eum statim uino abstinere iussit, & ei ordinauit potum ex aqua cum saccharo cocta, & pro cibo panatellam, & modicum ex carne uituli, quòd tempore sanitatis fuisset usus ampliori cibo. Sexto & septimo ægritudinis die accidentia mitiora fuere, præter sitim: hæc enim indies magis ac magis eum premebat: dormiuit tamen mediocriter absq; alienatione: syrupos biberat quos ipse ex decoctione hordei plurima, in aqua purissima & saccharo confecerat, eius singulis diebus mane sumpsit magnam scutellam, quòd nollet confidere pharmacopolarum negligentia, præcipue in compositione: sed quia siti plurimum premebatur, clam post discessum Doctoris sumpsit haustus plurimos aquæ frigidissimæ, & post euomuit cholericà & simul phlegmatica, uiscosa: post quem uomitum cessauit sitis, & reliqua accidentia. Octauo die liberatus fuit à febre, uoluit tamen Montanus ut 12. die fumeret medicamentum:

℞. Confect. hamech	3	4.
Trochiscorum alhandal	G.	10.
Syrupi rosati sol.	3	2.

Cum aqua cichoreæ fiat potio, sumenda in aurora cum custodia. Et sic liber euasit. Potus aquæ recte successit huic: quia corpus antea euacuatum fuit, & per fecesum & misionem sanguinis: tantum hærebat in corpore præternaturalis illa caliditas, quæ opposito facilis erat curatu, cum constaret uirtus, & corpus esset ualidissimum, in ipsa ætatis uigore, quæ omnia potuerunt aquæ resistere.

#### De febre putrida continua, Consilium X.

**R**oponitur casus puellæ octodecim annorum, complexionis calidæ & siccæ, optimæ perpetuo ualeitudinis, quæ ex curis & affectionibus animi, quas in fratris sui aduersa ualeitudine habuit, in ægritudinem incidit. Menstrua diminuta sunt, & febris eam corripuit cū horrore, & alijs accidentibus: adest dolor capitis, & circa regionem uentriculi, nempe circa orificium, præcipue uersus hypochondrium, tensiones percipiuntur: adsunt insomnia seu uigilia, oris amaror, non tamen cum siccitate notabili: calor mordax percipitur, & uelox pulsus. Accessionum principia hæctenus notari non potuerunt, ideo continua putatur, quæ tamen de tertio in tertium magis exacerbatur. Adest lassitudo uehemens, ita ut se uix tollere queat. Rugitus item in uentre superiori & inferiori auditur. Oportet primum uidere quæ natura sit morbi quo affligitur: postea, quæ causæ: demum modus curandi inquirendus est. Primum hanc laborare febre putrida, manifestum est ex signis: pulsus frequentior, inæqualis magis, ac uelox, quod putredinem sequitur, urinæ crassæ, cum hypostasi per totum corpus sparsa, calor mordax in superficie cutis. Hæc igitur febris est morbus in temperatura. An uero præter hanc alia sit ægritudo? Credo quòd sic: est alia in compositione. Circa orificium & regionem uentriculi tumor est cum dolore quando tangitur, neq; tamen dolor notabilis: & in anhelitu quandoq; percipitur, & à nobis tumor ipse tangitur. Ita duplex est ægritudo. Possit aliquis dicere, adesse etiam tertium, obstructionem circa uterum, quia actiones eius læsæ in excernendis mensuris, ergo & mem  
brum



membrum læsum. Sed quia menstruorum diminutio non ex obstructione tantum, sed ex mala etiam temperie in ipso utero, uel ob sanguinem crassiorem contingere possit, non posuerim pro certo, id quod est in dubio. Iam morbi causæ inquirendæ: non enim scimus curam, quando scimus talem uel talem esse morbum, sed ex causis cura petenda est. Esse putridam, ex dictis signis constat, pulsu, urina, calore mordaci. Sed in quibus humoribus est ea putredo, & ubi? Hoc etiam ex signis est inueniendum, non habet motum uelocissimum hæc febris. Talis autem fit, quando putrescit humor calidus qui & subtilis, ut bilis, uel sanguis: qui quia uelocissimi motus sunt, terminantur septima, uel ad summum decima quarta die. Et habet sæuissima accidentia: nec tarditatem habet eam quæ fit cum putrescunt humores frigidi, ut pituita, & humor melancholicus. Nec calor ita remissus est, & urinæ magis tinctæ, & dolor occipitis. Ergo humor qui putrescit, nec calidus est nec frigidus simpliciter, sed mixtus: quia accidentia mixta sunt: motus medijs inter tardum & uelocem: & reliqua signa media. Sitis quidem, sed non maxima: nec dolor capitis nimium intensus: ideo humorem putrescentem etiam medium crediderim inter calidum & frigidum, & mixtum ex plurima pituita & bile. Sed ubi putrescit humor? Audio febrem continuam sine typo, & semper æqualem: ergo humor putrescit intra uenas. Est enim febrium continuarum proprium, non horrere. Sed si haberet aliquem typum, aliter dicendum esset. Quod ideo dico, quia in pulsu hoc uespere sensi aliquam contractionem: & ipsa etiam cooperiri uoluit: quæ duo cum concurrant, maxime indicium faciunt esse aliquem typum. Et sæpe hoc contingit, ut in febribus continuis post aliquot dies incipiat apparere in pulsu, uel quia natura fortior in expellendis superfluitatibus facta est, uel quia coctio aliqua facta, & materia subtilior exhalat. Ideo enim continuæ febres periculosa dicuntur ratione signi, & causæ. Ratione signi, quia indicant naturam debiliorem, quæ permittit materiam ut inimicum putrescere in proprio domicilio, nec potest extra uenas expellere. Ratione causæ, quia ea materia putrescens facile insicit massam sanguinis, ad quod sequuntur febres pestiferae & exitiales. Fieri igitur potest ut hæcenus non habuerit, & nunc incipiat habere typum, id quod bonum esset per uiam signi, & per uiam causæ. An modo incipiat nunc materia putrescere extra uenas, uel sit adhuc intra uenas, facillime uidebitur. Excell. V. per ea quæ succedent. Si nullus typus succedit, erit intra uenas: si erunt aliqua periodi, erit extra uenas. Ideo nolo determinare in re ambigua: tempus ostendet, nec propterea tolletur modus curandi, siue intra siue extra uenas sit, cum certissima sit inuenta ratio humoris peccantis. Potest tamen si sit intra uenas augere difficultatem. His stantibus facile est nunc uidere causas symptomaticas. Vapores ascendant in caput, & dolores excitant: quia admixti ex pituita & bile, dolores quidem faciunt, non intentos tamen, propter pituitam obtundentem. Eadem causa est uigiliarum, quæ ipsæ propter pituitam admixtam non sunt continuæ: & quod non multum sitiat. Licet hæc omnia eam quoque infestent propter humores permixtos contrarios, quorum alter excitat, alter restinguit hæc symptomata, & mitigat. Ita omnia sibi concurrunt, urine rubrae, & tamen crassa, quia duo humores, pulsus inæqualis. Ergo non est biliosus humor solus, qui uelocem quidem facit, sed pituita magis inæqualem. Hæc sunt causæ omnium symptomatum quæ consequuntur morbum. Adest præterea obstructio: quæ ubi fit, ex tumore & dolore apparet. Quare & Galenus & Auicenna testantur, quod ubi dolor, ibi est ægritudo. Sed unde est tensio? Non est ex apostemate (alia enim sequerentur, & multo sæuiora symptomata) sed ex materia flatulenta: quæ facit tumorem, propterea quod flatuatur: non propter suam multitudinem, si enim esset tanta materia non flatuosa, propter multitudinem, comprimeret diaphragma & suffocaret: deinde perseveraret tensio, nec ita facile resolveretur à quocumque extrinsecus applicato. Hic dolor facile remittit, ergo non est ex abundantia materiæ, sed propter uentositates, ob quas intumescit: hincque est quod comprimitur & impeditur in dilatatione, ideo adest difficultas anhelitus, sed non durat, quia flatus cito discutuntur. Hic tumor est morbus in com-



positione, quia facit intumescere locum, ut non faciat operationes debitas, & est ea tensio ex praesentia materiae. Haec igitur sunt duae ægritudines, & puto utranque habere separatas causas, nec una remota alteram remoueri. Sed quia adest & retentio menstruorum, uidentur an una etiam ea sit ex his causis. Cum considero praecedentia & temperaturam huius, puto hanc diminutionem menstruorum potius esse ex crassitudine menstruorum & sanguinis, quam ex obstructionibus matricis. Est enim sanguinem habet humidiorum ratione ætatis & sexus, & quia in ocio uixit & delicijs, & albi sit etiam coloris (sicut solent esse foeminae quae non exercentur ut uiri) & ob has causas facile aliquem decipere possit, ut uideatur frigidior quam sit, habet tamen uenas magnas, & artèriarum motum fortem & magnum, & frater ipsius, qui ex eodem femine est, est calidus & adustus, ideo credo eam generare multam bilem & sanguinem adustum. Deinde est in decimo octauo anno, qui in puella citius crescente & senescente est ipse flos ætatis, & eadem quae uiginti octo annorum ætas, quia tunc maxime uiget sanguis. Accessit ægritudo fratris, quem amabat plurimum. Habuit uigilias, curas, & accidentia animi, quae adurunt sanguinem, ita ut inde homines etiam melancholici fiant, quia sanguis aduritur. Est igitur sanguis crassior, & multiplicata excrementa pituitosa, quae fuerunt causae febris, quae ipsa etiam sanguinem magis adurit; ideo rebellis educationi, ut non possit libere exire per meatus angustiores. Exiuerunt quidem menstrua, sed diminute: ideo causa non in obstructione erat uteri, sed sanguinis potius crassitie. Et cum sint tres causae diminutionis menstruorum, debilitas uirtutis excernentis, obstructiones uisum & sanguinis crassities, ego hic tertiam esse credo. Haec de essentia & causis horum morborum. Quod autem ad mores attinet, febris nulla habet signa malignitatis: habet sua accidentia, quae pendunt à putredine, sine deliquijs & egestionibus putridis, & urinis mutatis & seruantibus malignitatem: sed habet ordinarios affectus cognitos, ideo ordinariam crediderim, & non malorum morum. De tempore febris. Non uideo quidem signa coctionis, non tamen arbitror nos adhuc esse in principio morbi: non enim ita perfecta coctionis signa expectanda sunt in ægris sicut in sanis. Non igitur dicendum, adhuc esse in principio: sit enim aliqua coctio, non quidem qualis in sanis, sed qualis in ægro: & hanc ob causam in augmento esse crediderim, non in statu tamen, ubi coctio sit perfectior. Prognosticon. Nisi aliud superueniat, quia in itinere multa possunt contingere, ut dicit Hippocriton, in febribus acutis non esse certa signa prognostica: & addit rationem Galenus, quia facile mutari possunt uel ad melius, uel ad peius: tamen prout talis est, non est lethalis. Nam quod dicit Hippocrates, febres non intermittentes, quae tertia die exacerbantur, periculosa: uerum est, quia facile in deterius incidunt si negligantur: sed propterea non sunt lethales per se, sed ad optimum finem deducunt si medicus non desinat, & æger obediat: quae cum ambo hic sint conuenientissima, facile sanabitur. Cura. Videmus naturam morbi & principium affectuum pendere à materia putrescente: materia igitur euacuanda, & putredo remouenda. Materia crassa est, mixta ex pituita & bile, & maxima parte intra uenas, quia non sunt uisae periodi: ea igitur remouenda. Sed Hippocrates non tantum praecipit, si talia purgentur qualia oportet, confert, & leuiter ferunt, &c. sed alibi etiam: Quocumque natura uergit, eo maxime ducere oportet. Quarendum igitur, quomodo, & per quem locum: quia quid sit uacuandum, facile uidemus, pituita scilicet & bilis. Sed ex quo loco: ubi putrescit, in uenis, propterea quod perspiratio prohibetur, & calor naturalis opprimitur à multitudine materiae: ergo euacuanda, 4. sanit. tuenda. Si putrescit materia intra uenas non aliena à sanguine, mitte sanguinem copiosissimum: si non multum aliena, mitte, sed parcius: si omnino aliena, abstineas. Haec sunt uerba Gal. Hic humor non est admodum alienus, quia pituita mixta cum bile sapit caliditatem, & omnino tardi motus est: nec rebellis est calori, quia inflammatur. Est ergo permixta sanguini, & putrescit, quia prohibetur euentatio, & facit obstructiones. Venae igitur sunt euacuandae, & quarendum ut transpiret corpus, & uacuetur materia, quod nec melius nec citius fieri potest quam



quam per missionem sanguinis, ideo eam in febribus laudo semper, quia uel antecedentem uel proximam causam tollit: siue humor sit extra, & tunc antecedentem tollit: siue intra uenas, & tunc proximam. Mittendus igitur est sanguis, id est statim antequam morbus ad statum perueniat: neque restitandum, quia periculum est ne aeger moriatur. Vidi omnes sic curatos, & credo nihil praestantius nisi ut mittatur sanguis. Nec a saphena educerem: si enim sint obstructiones, non exhibit sanguis, cum praesertim materia sit crassior. Ideo a basilica mitterem, quae ad educendum sanguinem crassiorum est aptissima. Refrigerabit hepar, ut generet sanguinem magis aequalem, non tam crassum, qui postea sponte euacuabitur natura insurgente, sublato hoc modico impedimento. Si igitur cras non erit summe debilis propter maximam paroxysmum, aut uigilias huius noctis, ut magis indigeat alimento & restauratione quam missione sanguinis, omnino fieri phlebotomiam a uena basilica suadeo quantum sufficit, quam praesens Medicus iudicabit: si sanguis niger & crassior, permittatur exire: si pulcher, clarus, lucidus, statim obstruatur: ideo enim laudat Galenus missionem sanguinis praeter ceteris medicamentis per os exhibitis, quia semper reprimi potest, & uel parum uel multum educi, secundum astantis uoluntatem: quod non ita potest moderari in medicamentis per os exhibitis. Et uideo quotidiana experientia, quod ubi praetermittitur sanguinis missio ubi fieri debebat, morbi fiunt lethales aut longi. Nec ideo timeatur quod sit prima phlebotomia: habet aetatem convenientem: aut quod inde futura sit sterilis: istae sunt aniles fabulae, & figmenta sine fundamentis. Si tamen sudet copiose, aut per aluum egerat, uel per nares sanguinem reddat, uel aliqua fiet uacuatio, uel plurimum laborarit, uel uirtus defessa sit admodum, ommitterem. Si nihil horum contigerit, mane summo, clystere exhibito, sub horam postea aperirem uenam. Circa alterationem postea (quia in putridis non solum sanguis mittendus, sed etiam alia facienda, quae Auenenna duobus uerbis diuine docet, cum inquit: lauare aluum, prouocare urinam: haec qui facit, curat febres putridas) lauatur aluus clysteribus, & est, inquit, magis dilectus usus clysterum, quia sit quotidie sine molestia, quam prouocare urinas. Syrupus ex capillis Veneris optimus est, aperit obstructiones. Syrupus de cichorio Nicoli ex cetrach, bisantinus oes sunt optimi, eligatis quos uultis. Postea si uellet tollerare decoctum in hyeme hac, melius esset: acciperem aquam endiuiae & capill. Veneris, quamquam in his non confido multum. Ideo si haberemus herbas bonas, capill. Ven. & cetrach, eas decoquerem in aqua endiuiae & boraginis, & esset eo maior subtilitas, & facilitas prouocandi urinam.

## PRO OBSTRUCTIONE.

Si singulis diebus uel alternis acciperet unam pilulam aloes, uel hierae simplicis scrup. i. iuuaret. Nec metuerem febrem, quia euacuat bilem, & restituit sitim, refrigerat, & educit materiam facientem obstructiones, & calefacientem, et potest dari lota aloes, ut minus calida sit: educit humores. Sed si essent imbibiti intra tunicas uentriculi, melior esset hiera, ut inquit Galenus. Potest igitur exhiberi aliquot diebus, ut uideamus quomodo conferat: si enim non conducit, poterimus alia exhibere: sed credo quod ex his optime habebit.

## RATIO VICTVS.

Nescio an consueuerit uinum lymphatum bibere: si possit, credo utile fore ut abstineat a uino. Galenus tres recenset causas, in quibus sit abstinentum a uino: in epilepsia, in adustionibus, & humoribus crudis. Hic sunt humores crudi &c. Sed daretur aquam coctam cum cinnamomo uel pipere, quam Galenus dabat, & forte melius esset: quia enim eius caliditas non transit ad hepar, potest poni uel piper, uel cinnamomum, uel quatuor garyophylla cum modico sacchari. Comedet iuscula, panarellam, & modicum carnis. Si habebit paroxysmos, mutatur ratio uictus, & non ita cibabitur sub noctem, quod eo tempore soleant magis exacerbari symptomata, ut iam etiam accessio manifeste se ostendit.



## De febre continua in grauida muliere.

## Consilium XI.



**M**agnifica Domina passa est febrem per mensem, & affligitur lenissimo typo circa horas uespertinas. Exacerbatio non fuit cum frigore sensibili, sed cum calore paulatino, ita ut pateretur circa cor, & haberet anxietates. Postea habuit uigilias, & astrictiorem alui, a qua liberata est. Deinde a cibo stomachicis anxietatibus angebatur, quæ adhuc perseverant. Post assumptionem pharmaci sitis accessit, & tumor in liene, qui deduxit hanc Dominam ad *ux, effix* non quo ad substantiam, quia nondum est hydrops, sed quoad colorem. Postea accedit etiam hoc, quod grauida est, ita ut foetus sit perfectus: excessit enim septimum mensem. Quare eget plurimo alimento. Dubitatur nunquid excesserit nonum mensem, an sit in octauo. Dicit enim, quod post quartum Julij, non amplius perceperit fluxum menstruorum. Et nunc sumus in prima die Aprilis, secundum menses lunares sumus in nono. Quaritur in quo tempore sit febris: Apertissima signa apparent concoctionis post assumptionem benedictarum Medicinarum, ut Mannæ. Perseuerat tamen tumor, sitis & anxietas, non habet typum, ita ut sit uel cum frigore uel rigore. Igitur putredo est intra uenas, quæ etiam solet habere suas periodos, & credo hanc febrem esse continuarum unam, pendentem ex nullo humore absolute, sed ab omnibus complicatis simul. Habet colorem tendentem ad fuscedinem, ergo melancholia abundat. Est item calidissima, & humida, quæ omnia indicant non unum solum, sed plures redundare humores. Multæ etiam feces pituitæ permiscetur cum excrementis, & habet catarrhum, qui satis indicat abundare pituitam. Bilis etiam Citrina admiscetur excrementis. Deinde sanguis crassus in naribus destillat. Quare dico omnes humores hoc in corpore abundare, & sanguinem trahi in consensum, habet enim maculas rubras. Cum itaq; omnes humores hic putruerint, habet febrem continuam. Et quia crassi & frigidi humores hic putrescunt, febris est lenta, non cum horribus magnis, nec cum ariditate linguæ. Vigiliae habent ratione melancholici humoris. Imaginabatur enim multa. Ex maculis posset argui adesse febrem pestilentem. Dico autem has maculas posse contingere sine peste, & pestem quoq; sine maculis. Febris pestilens pendet ex putredine sanguinæ malfa, ibi natura excernit has maculas, plus nigras, pro maiori aduisione, quandoq; natura obruitur, ut non possit expellere. Vidi ego hominem habentem istas petechias sine febre. Quare credo hic non adesse febrem pestilentem, quia ea nunquam est sine fluxu colliquatio, qui hic non apparet: nec per mensem cum tot accidentibus uixisset, aut certe nunc Hæctica esset. Fortior uero natura a Manna facta, expulit. Sitis, quod bonum signum est, secundum Hipp. Habet duritiem in pulsu per duos dies, & tremorem, quare credo aliquam esse lationem in membris neuosis. Patitur tensionem circa hypochondrium sinistrum, qua comprimitur Diaphragma, & difficulter spirat, & sic trahuntur in consensum nerui omnes. Humor etiam melancholicus cum sit terrestris, & mordax, facit ad duritiem. Bibit etiam plus, quam comedit. Hinc potus supernatat, & inde accessit etiam aliqua anxietas.

**DE PROGNOSTICO.** Ratione ægritudinis deberet saluari, & ex excretionibus colligo naturam superare morbum. Sed quia non sentit moueri foetum, aut ille est omnino debilis, aut mortuus. Plurimi quoq; ob magnitudinem splenis, in hydropem incidunt. Trahit enim splen ob uiciniam in consensum hepar. Nam Hydrops non fit sine frigiditate hepatis. Dubito itaq; de morte, non ratione morbi, sed foetus. Qui cum ambigatur, an mortuus sit nec ne, metuo ne uires eius deiciantur ex his purgationibus.

**DE CVRA.** Cum uideremus illam indigere alimento ob foetum, ob uentriculi uero imbecillitatem & febrem, non multo uti debeat, uices iterauimus; ut singulis  
sex hor



sex horis comederet vitellos ouorum, ius pulli, & similia. Mel rosaceum cum Citro, & Scordio dedi. Nolui dare astringentia, ne dici possit foetum iam mortuum à me occisum. Concessi uero uinum aquosum. Natura hic maturauit, non tamen expellit, quia non sufficit. Quare nos mouebimus. Cum tamen uirtus non sit fortis, nec partus, non auderem addere uim maiorem, quam Mannam, ne sequatur fama Medicorum mala, quia & ipsi & foetui mors horaria imminet. Praesagium hoc res ipsa confirmauit, si quidem haec mulier non ita post multos dies obiit.

## De febre putrida cum praefocatione matricis

## Consilium XII.



Vdæi cuiusdam uxor laborabat dolore uentriculi, cum praefocatione matricis & febre: superioribus etiam diebus laborarat febris: quare medicus qui tunc fuerat uocatus, primum leniuit uentrem, deinde basilicam incidit: & quia non attenderat ad principalem causam febris in hac muliere, quæ pendebat ex matrice, interim illa in febrem incidit, & multum est auctum: sed quomodo, post dicetur. Febris inuasit cum sæuis symptomatibus, nam in syncopen incidit, & dormire nequiuit, prope delirauit, melancholica. Vocatus ad eam, corporis dispositionem primo considerauit, & ceteras deinde causas ægritudinis diligenter inquisiui. Ipsa autem quia admodum formosa, calidæ & humidæ est temperaturæ. Totius naturæ sequitur pars: quare & matrix calida & humida, quæ propterea etiam libentius uapores generat, qui deinde euaporant, & sursum feruntur, & uentriculum perturbant, caput replent, unde insomnia, & melancholica deliramenta: ad hæc cum accederet mala diætæ, illa aucta sunt, corpusq; debilitatum esse magis: neq; menstrua, uti par erat, purgata, unde & febris hæc causata est. Lex Moysi prohibet, ne à purgationibus menstruorum ante cum uiro coeant, quam sese frigida abluerint. Necdum purgata satis, in frigidam insilierat, quam lotionem obstructio esse sequuta, atq; hanc febris, qua nunc laborat. Accessit etiam strangulatio matricis: nam lotionem sequuta est etiam intemperatura matricis: generati in ea propter intemperaturam uapores; deniq; fortiter clausa est matrix, ut etiam purgationes sisterentur, quæ deinde doloris uentriculi causæ: & ipsa febris inde facta est auctior. Sed quoniam necesse erat hanc suppressionem menstruorum, & matricis praefocationem solui, propter maiora pericula, quæ timeo, & praesertim syncopen, dedi illi Mithridati 2. cum saccharo rosato, ut Mithridatum calefaceret matricem, & materiam uaporum exiccaret, deniq; uias aperiret, atq; ut saccharum rosatum confortaret uentriculum. Sed dicat aliquis, augetur febris: concedo, sed maius ex matricis praefocatione periculum impendit: necesse est igitur hanc primum omnium curari: febrim curabo paulo post facilius syrupo rosato, & de cichorea, causis etiam sublati, & soluti obstructionibus, & reducta caliditate ad temperiem. Ad hanc praeterea dosim Mithridati cum rosato, adhibui etiam frictiones pedum, ut prouocarentur iterum menstrua, & res pulchre successit. Ne uero spe nostra frustraremur, iussi lauare pedes in decocto bethonicae, saluiae &c. Item, ut ex herbis illis fumum acciperet: praeterea dedi decoctum radicis cum foeniculi, petroselini, & anisi, & coeperunt iterum fluere menstrua. Nam nisi res disissent menstrua his medijs, cucurbitulam etiam saphenæ applicuissem, ut ad inferiora sanguinem menstruum propter communicantiam uenæ ad matricem retraherem, quanquam frictio ipsa ad hæc prouocanda satis sit efficax. Atq; inde facile est aestimare, quantum nocuerat prior Medicus, qui basilicam incidit curauerat. Incisio enim basilicæ menstrua sursum attraxit, unde omnis mali labes. Nunc autem cum fluant, ne quid accidat quod sistat menstrua, diligenter cauebimus, imò quoad poterimus naturam eius adiuuabimus ad expulsionem. Hac autem nocte nihil dormiuisse se conqueritur: neque mirum, frictio namque, quia corpus



corpus calefecit, febrē adauxit, & fluentibus menſtruis omnia mouentur in corpore, unde inquietudo: poſtremo uapores caput calefecerunt. Quare ad conciliandum ſomnum, iuſſi ut nares oleo uiolaceo inungerentur, & tempora; hoc ſi nihil profecerimus, perueniam ad unguentum populeonis. Sed roget quis, cur nihil exhibeam per os, quod ſomnum conciliet? Reſpondeo, quia omnia conciliantia ſomnum, frigida eſſe & humida neceſſe eſt, & frigida morbi materiam groſſiorem reddunt, & expulſioni inſeptiorem, quare nihil exhibeo.

Pro puero, qui à ſcabie curatus, febr̄i ex uiſcerum obſtructione laborabat,  
Conſilium XIII.



Vidam puer cum ſumpſiſſet pillulas, primo unam de Aloe ſimplici, & aliquot etiam alias ex Aloe, & Rhabarbaro, ſatis commode ab ijs purgatus eſt, donec materia, quæ in uentriculo & inteſtinis continebatur, euacuetur. Ea remota, cum nihilominus quarto quoq; die unam ſumeret, aluum nihil leniorem ſenſit, quia febris etiam ſuperuenit, quæ cum leui rigore inuadebat, quotidie perdurante calore ad tres etiam horas. Vocatus eſt Montanus, uidens primo colorem totius faciei & corporis album, uentriculi debilitatem eſſe ſtatim aiebat. Quòd color corporis, ut & Galenus teſtatur, dominium in corpore humorum abundantium oſtenderet, niſi in interioribus ſeſe continerent humores, quod raro fit, ut ait Galenus. Dicebat igitur uentriculum debilitatum, ac plurimum pituitæ in eo corpore generari, quod etiam pulſus teſtaretur, qui debilis erat oppreſſa uirtute ex nimia ui pituitæ. Tangens deinde uentrem circa regionem uentriculi, & in utroq; latere, maxime uero in dextro, tenſiones percepit, ita ut cum in dextro commodius tangeret, gurgitationem quandam manifeſte ſentiret. Urinæ crudæ erant, & in fundo aduſtionis ſigna oſtendebant. Montanus, ut obſtructiones eas aperiret, ex quibus febris orta erat, primum ordinauit hos ſyrupos:

℞. Rhabarbari electi ʒ. i.  
Spicæ grana ʒ. ʒ.

Minutim incidantur, & inuoluantur panno lineo ſubtili, deinde in ℥. i. infundantur aquæ Endiuæ, & hæc infuſio diuidatur in partes tres, pro tribus ſyrupis, ſemper in ſingulis ſyrupis faciendo expreſſionem dicti Rhabarbari in linteo, quæ non remouebitur ab ea aqua niſi in fine. Sumantur autem hi ſyrupi hoc modo:

℞. Tertiam partem huius aquæ, deinde  
℞. Syrup. de Abſinthio  
Syrup. aceto: ſimpl.  
De duabus radicibus ana ʒ. s.

Miſce pro uno & ſic pro alijs duobus. Item  
℞. Olei de ſpica, ab aromatarijs ſumpti, ceræ q. s. fiat linimentum pro unctiōne oppilationis in parte dextra. Item

℞. Olei de Capparibus ʒ. i.  
Bdelliꝝ  
Ammoniacy ana ʒ. ʒ. 2.  
Agaricy electi ʒ. i.  
Aceti Scyllitici ʒ. i. s.  
Hyſſopi humidæ  
Olei Amygdalarum amararū ana ʒ. i.

Cum modico ceræ fiat ſecundum artem linimentum pro ſplene. Item  
℞. Olei de Abſinthio ʒ. i.  
Maſtichini ʒ. ʒ. 2.  
Ladani electi & pinguis ʒ. i.

Miſce,



Misce, & fiat linimentum pro stomacho. Vfus erat his unctionibus & syropos etiam acceperat tres, sicut ordinati erant, ea febris mitigabatur quidem, sed quoniam obstructions non tollebantur, neq; febris penitus auferebatur: symptomata tamen omnia mitiora erant, ita ut ad sanitatem uergere uideretur. Montanus uidens urinas non malas, & febrem mitiorem, obstructions etiam in dextra parte apertas, sed in sinistra non item, ubi etiam durities quaedam tactui apparebat, uoluit eum sumere alii quot diebus sequentia:

℞. Duas heminas brodij de pullo semicocti, in quo decoquantur Cetrach

Capilli Veneris ana ʒ 1.

Decoctione facta fiat expressio fortis, & in decocto infundantur oxymellis Scyllitici, Geleniabin ana ʒ 1. exhibeatur mane hora syrupi calide. Iterum

℞. Trochiscorum de Absinthio, de Capparibus ana ʒ 1. s. Cum melle rosato fiant pillulae 9. ex quibus unam sumat singulis diebus immediate ante syrupum.

### De febre orta ex obstructione, in puero Veneto,

#### Consilium XIII.

**N**obilem hunc puerum febre affici ex obstructione, non modo ratio, sed sensus etiam indicat, obstructione inquam membrorum naturalium. Curari ergo non poterit febris, nisi remota obstructione. Quantum igitur ad uictus rationem attinet, mihi uideretur quod attenuans cibus & potus esset adhibendus. Ergo uinum album, pauciferum, subtile, quale hucusq; rectissime oblatum est, maxime conuenire existimo. Carnes haedorum, & pullos, cum quibus coquatur anisum, uel foeniculum leuiter contusum, panno lineo inuolutum. A granis omnibus abstinere, praeterquam ab hordeo optime his cocto in iure, quo esse contentus, addito petroselino, uel betonica, uel foeniculo. Et quoniam audio paroxysmum circa uesperas inuadere, laudo parcissime coenare, & in horis magis quietis; hoc enim in febre tollenda plurimum conferre arbitror. Prouiderem, ut singulis diebus beneficium alui haberet, nihil enim efficacius ad febrim ex obstructione tollendam, quam lenire aluum, & prouocare urinam. Et cum audiam hunc puerum contineri non posse, quin se plurimum puerili more exerceat, omnino hos incongruos motus coercendos iudico, & intra aedes proprias, quantum fieri potest, puerum continendum. Quantum uero ad medicamenta attinet, cum apertio sit in hac curatione ferè principalis intentio, & quod uere aperit est amarum, ideo amarorum usum in hoc puero maxime laudarem. Si ergo persuaderi potest, ut de absinthio syrupum mane sumat cum iure pulli, in quo petroselinum, foeniculum, & alia huiusmodi diuretica decocta fuerint, summopere laudo. Sed inter reliqua, quod semper certa fide à me longo experimento probatum est, laudo ut singulis diebus sumat infusionem rhabarbari in aqua endiuiae: nunquam enim uidi febrim ex obstructione hoc remedio non esse sublatam, si modo pertinaciter quispiam in eius usu perseverauerit: quandoq; enim crassissimos humores impactos, & obstructions, quae ob caloris imbecillitatem facile tolli non poterant, ex rhabarbari assumptione curatas uidi. Consueui igitur accipere libram aquae endiuiae, in quam drachmam rhabarbari infundo in panno lineo inuolutam: deinde singulis diebus uncias quatuor illius infusionis, facta aliqua expressione, accipi iubeo circa auroram: & est huiusmodi dosis puerorum: neq; desisto ab hac potione, priusquam uideo omnino & febrim & obstructions esse sublatae: auferuntur enim proculdubio, si reliqua omnia recte fiant, & curationi consentiant. Quantum uero attinet ad ea, quae exterius applicantur, stomacho quidem oleum de absinthio confectum cum pulvere mastice applicarem. Lienis uero linimentum hoc modo confectum:

℞. Bdel



℞. Bdelliij

Ammoniacy ana 3. 2.

Dissoluantur in aceto scillitico. Deinde

℞. Olei amygdalarum amararum

Adipis anseris ana 3. 1.

Ponantur omnia simul, & fiat linimentum pro splene. Hepati recte applicari potest linimentum ab Excellentissimo Doctore applicatum, unguentum rosatum Mesue cum sandalino permixtum. Hæc satis esse arbitror pro hac febre tollenda, si modo puer recte pareat, & assidentes non delinquant.

De febre continua ex putredine ac magnis uiscerum  
obstructionibus orta.

Consilium XV.



Um accessimus hunc, protestati de longa ægritudine, multa diximus, ac etli ex Hippocratis sententia 1. Progn. præterita ducunt Medicum in cognitionem posteriorum, tamen de præteritis nunc nulla fiet mentio. Circa præsens deprehendi febrem, & illam si non continuam, & sine typo (ut semper fit) saltem una hora magis quam altera intensiorem. Præter febrim habet tensionem hypochondriorum, & miram eorum gracilitatem, licet totum corpus sit gracile, magis tamen abdomen, quæ ultima pars esse debet, quæ tabescit. Habet etiam intrinsecus obstructionem uenarum, per quas defertur cibus ex uentriculo ad hepar. His ita se habentibus quæro, utrum hi morbi ita complicantur, ut unus sit causa alterius, num febris fuerit illa, quæ fecerit opilationes, an contra. Fuit sanatus, & patitur recidiuã, uidetur igitur febrim fuisse opilationis causam. Calor non mordax, paroxysmi non longi, nõ sitis magna, credo, quod pendeat febris ab humoribus crasis permixtis, non solũ cum melancholia, sed cũ diuersis humoribus. Quando tales crasi humores commixti uidentur, adest imbecillitas concoctricis uirtutis, & omnia membra naturalia sunt affecta, quia non nutriuntur. Ventriculus enim non conficit suum nutrimentum, hinc etiam non uoluptatem accipit, non pinguescit, & hinc humores crudi, tenues. Concoctio enim fit ingrossando: inconcoctio autem relinquit humores tenues, qui faciunt tensiones, & extinguunt calorem naturalem, hinc obstructio, quia hi humores ob moram crassesciunt, & obstruunt. Inde causam tensionis, gracilitatis, & obstructionis esse puto, nempe ab imbecillitate coctionis: humores obstructi putrescunt, & ingrossantur, & febris fit, quæ facile assimilatur hecticæ, habet enim paroxysmos occultos, & facile etiam mutatur in hecticam. Estq; ægritudo difficilis & periculosa. Galenus enim dicit Tertianam notham non carere periculo, quanto magis hæc: Ideo ne ipsa sequatur tabes, oportet seipsum opportuna facientẽ præstare &c. Metuo enim, ne contabescat, & moriatur: quia cum ægritudo est cum imbecillitate membrorum naturalium, calor innatus est debilis, & medicamenta parum iuuant: quia ad actum non deducuntur à calore. Vellem aperire obstructiones cum potionibus, syrupis, & decoctis, pro ratione uentriculi & hepatis. Primo facerem decoctionem in iure, cum quo Cichorium & Chamædryes decoquerentur. Est decoctio admiranda in his, in quibus est obstructio. Darem syrupum acetosum, qui corroborat affectum locum. Adderem etiam absinthium, & mel rosatum pro corroboratio-  
ne stomachi. Ventriculum quoq; fomentarem ex decoctione Chamæmeli, & Cidonij. Acciperem enim quæ corroborant, & si habent rationem cibi, maxime præstant. Et facerem formam emplastri, uel cerati, & sic optime ac continue fomentarem. Darem confectionem Diarrhodon Abbatis mane, & sero, per aliquot dies, & per interualla exhiberem euacuantia mediocriter. Et quoniam causa febris est oppi-  
latio, &



latio, & humores crassi, ideo illos attenuarem, & magis attenderem ad causam, quam ad febrim. Darem uina nutrientia. Non comedat in tempore exacerbationis. Ex dactylis, Cidonijs, Chamæmelo facerem emplastrum, nam in tabe uentris multū ualet.

℞. Syrupi Acetosi Diarhodon

Iulepi uiolati ana ʒ 1.

Decocti Chamædryos

Cichorij cum aqua Absinthij ʒ ʒ. Misce.

Pro Cornelio Sithardo æstate recedenti in Quartanam,  
qua per hyemem laborauerat,

### Consilium XVI,

**R**edijisse eam propterea dicebat Montanus, quod humor melancholicus uere non esset, ac exquisite purgatus, iuxta illud Hippoc. Quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt. Et improbabat eam curandi rationem in febribus, quæ per applicationem emplastrorum fieret, ut uiolentam & contra methodi rationem constitutam, quod causam non tolleret. Non tamen uoluit eum in æstate medicamentis uti alijs, quam pillulis Hieræ picræ Gal. propter debilitatem uentriculi. Eas in mense ter aut quater ut sumeret, iussit, tempore etiam calidissimo, & interim æstatis diebus, si quam sentiret grauitatem, ut uomeret, cum præsertim id facile posset. Vti quoque balneis aquæ dulcis uoluit, subinde tepide, ita tamen, ut ipse non excitaret sudorem nimis diu immorando, & si sudor contingeret, ut eum diligenter abstergeret. Victus diligenter rationem habere quoque iussit, & a fructibus abstinere, & cibis melancholicis. Semper etiam ante prandium & coenam iuris exhaurire scutellam. His peractis ad autumnum omnibus modis annitendum, si eousque durabit, ut abigatur febris, id est faciendum euacuatione materię, post præparationem. Primo autem pituitam exquisite educendam, & deinceps humorem melancholicum. Redijt uir opt. liber a quartana in Germaniam, & Norimbergensis Reipub. laudatissimæ Medicus factus, postea Phtili extinctus est.

De febris Quartana.

### Consilium XVII,

**I**n febrim quidam inciderat Quartanam, homo biliosus & iracundus, & exercitio in caloribus, ac malo regimine usus. Acceperat Cassiam ante dies aliquot. Nunc utatur bona diæta. Vesperis exhibeatur clystere, mane postea secetur uena, bibat deinde syrupos.

℞. Syrup. de Absinthio ʒ 1.

Oxymellis Scyllitici ʒ ʒ.

Decocti capilli Veneris

Et Ceterach in aqua Absinthij destillata ʒ 4.

Misce prouno, & sic pro alijs. Purgatio sequitur, quam tamen uesperis præcedat clystere:

℞. Syrup. ros. solutiui ʒ 4.

Confect. Hamech ʒ 4.

Cum aqua Fumiterræ, fiat potio danda in aurora cum custodia. Biduo sequenti semper mane bibat brodium pulli, in quo decoctum sit hordeum, & expressum, cui imponatur saccharum. Postea singulis diebus bibat brodium, in quo decoctus sit Cichorij, Boraginis, Petroselinij, & Ceterach. M. 1. Et immediate ante id, sumat unum ex Trochiscis sequentibus:

℞. Pos



℞. Polypodij recentis  
 Glycyrrhizæ rasæ  
 Rad. Capp.  
 Cartami  
 Anisi ana 3 8.  
 Succi Absinthij  
 Aloes opt.  
 Rhabbarbari electi ana 3 1.

Pulverizentur omnia per se, deinde misceantur, & cum melle rosaceo fiant Trochisci pondere ʒ i. sumat unum singulis uicibus. His cum diu usus esset, nec aliud proficeret, quàm quòd ex duplici quartana, quam ex regimine malo sub initium contraxerat, simplicem tantum sentiret, Montanus præterea hæc ordinauit:

℞. Myrrhæ  
 Croci  
 Aloes electæ ana 3 2.  
 Cum melle rosato fiant pillulæ.  
 Item: ℞. Syrup. Pomorum dulcium ʒ 4.  
 Aquæ rosar. ʒ 3.  
 Musci  
 Ambrae ana ʒ 3.  
 Sacchari fini ʒ 14.

Misce, fiat electuarium.

Item: ℞. Diachilon, cum gummis ʒ 4.

Extendatur in corio pro emplastro splenis. Hæc cum tertia die iterasset, sanatus est.

Pro Gallo quodam laborante quartana triplici.

### Consilium XVIII.

**N**escio adhuc quo morbo laboret, quare faciam ut docet Auicenna, subtiliabo regimen, donec morbus appareat. Primo rationem uicis præscribam. Sumpsit heri electuarij lenitiui drachmas duodecim, cum saccharo in boli forma. In fine accessionum habuit magnam sitim; quare laudo talem potionem:

℞. Syrupi acetosi multæ acetositatis ʒ 3.  
 Vini granatorum ʒ 1.  
 Aquæ Boraginis ʒ 1.

Misce, & utatur pro siti, & bibat cyathum unum in fine paroxysmi dum sitit. Pro syrupo, quia obstructiones habet, ut ferè semper uidebitis in febricitantibus, cum occurretis post uigesimalium diem ægritudinis, hypochondria tangentes, percipietis tensionem, semper habet obstructiones, quæ aperiendæ sunt, alias nunquam curabitis febrim. Sed nolo in principio progredi cum amaris, & per se aperiuntibus.

℞. Oxymellis simp. ʒ 1.  
 Mellis rosati ʒ 8.  
 Aquæ cichoreæ ʒ 3.

Misce, & detur mane pro syrupo. Iste Gallus habet quartanam quotidianam, quod sæpe contingit. Exemplum habetis apud Galenum de Eudemo, primo Prognost. etiam de differ. feb. Sed circa febres putridas multa essent dicenda, quæ oportet supponere: nihil enim dicam ex obseruationibus, sed principijs, sicut fieri debet; quod cum hic non possumus, ubi supponendo sine arte loquimur, in solidis fundamentis docendum. Quatuor sunt humores qui putrescunt: bilis putrefacta tertianas facit, pituita amphimerinas. Sed an sanguis putrescat, & quomodo

ex eo



ex eo fiat febris, dicemus in scholis. Nunc tres humores sumamus. Melancholicus humor putrefactus, facit quartanam. Cum talibus occurritis, quomodo debetis agnoscere: Non sunt expectandi dies paroxysmorum: hoc ridet Galenus 2. de Crisibus: possunt enim decipi, cum variant pro ratione adustionis humorum. Si ex paroxysmis hanc uultis iudicare, erit quotidiana. Optimum igitur erit febres cognoscere à proprijs signis, differentijs, & accidentibus: quorum signa trademus. Humor melancholicus est crassus, fæculentus, frigidus, mordax sua aciditate, & potius astringens, exasperat ac si mespilum comederetis, sicut acida, austera, acerba, quæ Arabes pontica dicunt: ergo à natura rei, cum humor ille ab interioribus ad exteriora mouebitur, facit frigus magnum, quia humor in se frigidus tangit musculos: & est humor naturæ inimicus, calori oppositus, ideo natura prosternitur, & fit maxima contractio caloris, etiam frigus magnum, quod est signum quartanæ. Differt enim à frigore bilis: nam ipsa quoque frigus facit, & motum conculsionis: sed quartanæ frigus maius est, ac si quis aëri ualde frigido occurrat, dicunt se tantum frigus sentire, ac si quis nudus uersetur in niue: frigus uero à bile est, ac si acu mordicaretur.

Quotidianæ etiam frigus ab alijs facile distinguitur: est enim rigor eius tanquã cum somno, & hoc est primum signum pathognomonicum. Pulsus deinde ob humorem frigidum inæqualis est magis quàm in quartana & tertiana: & ratio est, quandoquidem qui quotidianam patitur, habet singulis diebus paroxysmum: & quia pituita multa est, quæ multitudiue sua extinguit calorem, supra modum aggrauat naturam, & fit pulsus inæqualis, sicut de baiulo exemplum dat Galenus. In quartana licet melancholia sit pauca quantitate, nec tam abundet in corpore quàm pituita in quotidiana, tamen aggrauat grauitate propria, & ita ratione ponderis fit pulsus inæqualis.

In Tertiana magis augetur necessitas euentandi, ideo maior est pulsus, & uelocior quàm in quartana aut quotidiana: & quia humor leuis est ualde, non ita aggrauatur natura, & ideo pulsus non est ita inæqualis. Habet igitur pulsus in quartana se mediocriter inter tertianam & quotidianam, in æqualitate & uelocitate, & magnitudine. Est præterea rarior, ob materiam scilicet humoris terrestris, & propter duritiem seu siccitatem instrumenti, quæ etiam ad paruitem facit. Est & aliud signum discernendi ipsas, quia accessio febris, principium paroxysmi & augmentum longiora sunt quàm in reliquis, quia est tardæ putrefactionis, nec habet statum nec declinationem, ut quotidiana. Patitur igitur quartanam, ergo ex humore melancholico putrescente. Sed hic noster ægrotus quotidie patitur, quia natura aggrauatur multa materia, raro siquidem sola & simplex contingit. Raro uidebitis quotidianam uel quartanam puram, quia semper aliquid pituitæ admiscetur melancholiæ. Frequentius uero exquisitas tertianas uidere contingit: hæc aliquando minorem frigiditatem, & propter pituitam admixtam quandoque maiorem habet: & uidetur unus dies quasi quartanæ editus esse, reliquis duabus mouentur alij humores. Habet autem febrem propter obstructionem uiscerum: non habet quidem duritiem tympaniticam, sed tensionem, quia febrem habet quæ calorem naturalem mutauit in igneum, ideo facit coctiones deteriores. Est ergo alendus uictu tenui, quia dum manet febris, manent cruditates, & sic fiunt tensiones. Oportet autem has obstructiones etiam curare, quia habent rationem causæ, sine qua non potest curari febris. Ideo dedi syrupos aperientes, & iam apparere coctio, aliqua ex parte, quæ quamuis sit laudabilis, nondum tamen est status, donec exactissime signa appareant. Morbus est materialis: ergo stante coctione in urinâ, euacuare oportet, cum appareant signa coctionis. Humor melancholicus est: quod erit igitur instrumentum? Mihi semper familiare, quo utor, est confectio hamech aurea, quam confecit Mesue magna arte: ideo extollo Arabes, quia habebant methodum de compositione medicamentorum. Sed nescio qui sit, alij à Græcis ad Arabes, alij ab Arabibus ad Græcos confugiunt, & ita huc atque illuc uagantur,



gantur, quod fit, quia feruntur sine ratione. Qui ratione procedunt, hæc non faciunt, quia utriusque errare potuerunt, & Arabes & Græci: aliquando boni sunt, aliquando malitiosi quia non discernimus, & nos erramus, & alios errare facimus: ita oportet unum onera portare alterius. Sed ad ægrum nostrum. Constant vires in hoc, & est iuuenis, & locus temperatus, ideo totam dosim dabimus. Integra autem dosis pro viribus est 3. 4. Et hic habet obstructions, in quibus difficilius educuntur humores, & tenfa hypochondria: sed non nimium obstructi sunt meatus, ita ut materia educi non possit, alioqui non darem:

℞. Confectionis hamech 3. 4.  
Trochiscorum alhandal G. 5.

Misce, fiat bolus cum saccharo. Habet quartanam principaliter, quia habet accessiones de quarto in quartum uehementes, postea alios duos dies mitiores. Hodie magnum habuit paroxysmum, sudauit, & est refrigeratus, & sudor etiam lintheamina fecit frigida, ideo augetur putredo. Oportet ergo adhuc aperire obstructions, & concoquere materiam. Quomodo concoquenda materia melancholica? an cum incis dentibus? Auicenna acetum proponit dubitando, sed non soluit: at humor melancholicus maiori indiget preparatione. Quomodo concoquuntur humores? Humores semper concoquuntur calore moderato. Reducendus ergo calor ad temperiem: si acutus est, faciat benigniorem: si acris, retundetis eum cum frigidis: si obtusus, & minorem habet calorem, reducat eum ad temperiem: nam omnis coctio fit à calore temperato. Finis coctionis est separare bonum à malo, utile apponere membris, inutile excernere: ea sunt propria opera naturæ, quæ per calorem temperatum semper tentat coctiones in humoribus: quia omnes humores habent aliquid boni, quod separat, ingratum uero expellit. Quomodo præparantur humores? Hic alijs instrumentis opus est: non enim hic est coctio, sed quædam ad coctionem præparatio. Cum crassus est humor, incidimus: si uiscosus, abstergimus: cum qualitas aliqua peccat, præparamus cum contrarijs. Nos ergo naturam imitabimur. Volumus præparare humores, & concoquere: duo ergo facienda, quæ iubet fieri, ubi peccant humores, Galenus lib. 4. de tuenda sanitate, & primo therapeut. Primo admouet quæ iuuant coctionem, fouet uentriculum & hypochondria, dat diatriopipereon, postea præparat humores, & uias aperit. Ita hic quoque humor melancholicus peccans, frigidus est, crassusque. Primo ergo cum linimentis uentriculus & hypochondria fouenda, ubi fiunt principales coctiones: & præcipue lateris sinistri rationem habeatis, ubi splen concoquit, ex hoc habetis coctionem humorum. Ego in febris putridis post purgationem utor oleo Chamæmelino uel Anethino, cum uino Aromatico, qua uisione pori aperiantur, & adiuuantur coctiones. In principio uero quietos humores relinquo, donec euacuentur, & phlebotomiam facio. Si non bonum est fouere uentriculum uel hypochondria, ut circa partes principales bonæ fiant coctiones, euacuamus humores: Fiant ergo frictions cum linimento, ut pori aperiantur (est enim constipatio hic) & ut crudi humores concoquantur. Post coctionem curamus præparationem. Quia sunt crassi, debent ergo incidi. Si esset pituita, facilis ratio foret, quia humida est: humor melancholicus crassus est & siccus, & ea quæ incidunt, exiccant etiam: oportet ergo quærere incidens, quod unâ humectet. Quare nunquam præparabitis humorem melancholicum, cum simpliciter incidentibus, nisi alternatim exhibeatis, ut per tres dies humectetis, per duos incidatis. Potestis igitur uti sequenti: ℞. liquiritiam, passulas, sem. althææ, camomillam, pomadulcia, decoquantur in brodio pulli, est delectabile, & humectat. Vel rapas dulces decoquo ad ultimum, postea decolari facio, & substantia raparum abiecta, in prandio & coena exhibeo loco ferculi. Sic potest humectari humor melancholicus. Quinto die postquam ita humectastis, potestis hoc exhibere, uel miscere etiam humectantibus.

℞. Syrupi



℞. Syrupi de pomis	3	1.
Oxymellis simp.		
Mellis rosati	ana	5.
Decoctionis infra scriptæ		4. Misce.
℞. Liquiritiæ rasæ		1.
Polypodij		5.
Passularum		2.
Boraginis	M	1.

Decoquantur in ℥ 3. aquæ cisternæ ad consumptionem tertiæ partis, & diuidatur ipsa decoctio pro 6. syrupis. Pro linimentis

℞. Olei anethini  
 Chamæmelini ana 3 2.  
 Misce, & fricetur leniter totum corpus, & illinatur mane & uesper per horam ante cibum.

℞. Olei de absinthio  
 Chamæmelini 3 1.  
 Ceræ 3 1.

Misce, fiat linimentum pro toto stomacho, uentre & hypochondrijs, applicandum in fine paroxysmi.

Pro quodam iuvene, qui quartanam patiebatur, & malignam splenis duritiem,

Consilium XIX.

℞. Fol. senæ	Epithymi	
Polypodij	ana	3 2.
Myrobalanorum chebulorum		3 1.
Aloës optimæ		3 3.
Corticis rad. Capparum		3 1. s.
Myrrhæ		3 2.
Croci		3 1.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, ac cum syrupo de Epithymo fiat magdaleon, de quo fiant pilulæ: pro singula uice tres: sumat 3. 1. ante cœnâ semel in septimana: Ordinata uictus ratione utatur, & si uult, potest inungere locum lienis oleo de capparibus: sunt enim obstructions, ut ex totius corporis colore apparet. Hic adueniente uere, quia his usus non erat, & inordinate uixerat, in febrem incidit. Montanus calsiæ 3. 10. cum 3. 2. specierū hieræ exhibuit: pro syrupis postea serum lactis caprini, cum succis sumi terræ, boraginis, cichorij ana 3 1. Post secundum syrupum sanguinem misit: ultimo medicinam dedit ex confectione hamech, & syrupo rosato solutiuo. Pro aperiendis deinde obstructionibus syrupum ex succo chamædryos & agrimonix, cum infusione corticis mediani fraxini 3 s. Cetrach 3. 6. Infundantur in sero lactis, & modico aceti bibat mane. ex sero lactis caprini ad cyathum unum. Chamædryn & agrimoniam addidit, quia ex malo regimine in obstructionem alterius lateris inciderat.

Pro splene ordinauit hoc unguentum:

℞. Bdellij		
Ammoniæ	ana	3 4.

Dissolue in aceto squillitico: deinde adde  
 Olei amygdalarum amararum  
 Axungix porcine ana 3 1. s.

c 3 Agz

Agarici optimi puluerizati 3 1.

Corticum rad. Capparum 3 1. s.

Corticum ellebori nigri 3 2.

Cum modico cera fiat linimentum, pro splene. Si pinguis pauca sunt, duplicentur.

Pro quodam uiro laborante Quartana multis mensibus,  
cum tussi, & splenis duritie,

Consilium X X.

**R**o syrupo iussit accipi duas scutellas brodij e pullo, aut carne uituli semicocti, aut si non esset brodium, aquae purae, & in ea decoqui glycyrrhizae partem, foliorum Boraginis, Bethonicae, passularum ana M. L. eaq; ad consumptionem medietatis: & mane exhibeantur pro syrupsis. Ad duritiem splenis iussit inungi eam partem oleo de Capparibus. Voluit uinum bibere album & tenue, quod concessit, & ut a crassioribus cibus abstineret, admonuit.

Ratio dietae, in quartana praescripta.

Circa rationem uictus, primo est eligendum uinum album, clarum, transparent, neq; multum potens, non tamen acidum, uel astringens, sed bene maturum, & potius subdulce, quod tamen moderate bibet, abstinendo prorsus ab omni potu post prandium, & coenam, Sed bis tantum in die comedat, & tunc bibet, quantum sat est, neq; alijs utatur carnibus, quam pulloꝝ, uituli, & auium paruarum pinguium, & perdicum. Et euitet porcinas, tam salsas, quam recentes, bubulas, agninas. Euitet pisces cuiuscunq; generis, sed praecipue salitos. Euitet olera cuiuscunq; generis praeter Boraginem, & Lactucam, quae tamen decoquantur. Abstineat a leguminibus, a caseo, tam recenti quam ueteri, & a quocunq; lacticiniorum genere. A fructibus caueat, nisi post prandium forte, aut coenam pyrum, aut pomum optime assatum cum saccharo comederit. Euitet omnia cruda, qualia praecipue sunt acetaria, & tandem effugiet omnium rerum satietatem, & semper a cibo aliqua famis uestigia retineat. Vitet quoq; somnum meridianum. Mane surgat satis tempestiue, corpusq; moderate exerceat ante cibum, idq; quotidie curabit. Utatur frequenter quemadmodum illi est praescriptum. Aloes in pillulam redactae, hora una ante coenam. Sit laeto & commodo animo, & cum iucundis amicis uersetur, & omnes molestias animi depellat.

Pro Quartanario purgatio.

Florum boraginis, buglossae, ana 3 iij.

Radicum ellebori nigri 3 5.

Polypodij 3 5.

Pol. senae

Epithymi ana 3 s.

Radicum boraginis

Buglossae

Cappillorum Veneris ana 3. iij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquae ad consumptionem tertiae partis, colentur & exprimantur, colaturae postea addantur:

R. Succum fumi terrae

Boraginis, buglossae ana 1. s.

Succi pomorum 4.

Zucchari albi 15.

Fiat syrupus, sumat per quinque dies.

De



## De Hebræo quartanario &amp; Hydropico.

## Consilium XXI.



Asus referente Tomitano huiusmodi est: Affertur patiens 40. anno-  
rum Hebræus, qui ante multos dies laborauit febrî continua, non hic, sed  
in urbe quadam Curatite, eam habuit per 20. dies continuos, & termi-  
nata est 21. sed non perfecte reliquit eum: & cum postea per mare re-  
uerteretur, incidit in aliam continuam, à qua liberatus Venetijs, ita ut in  
quartanam mutaretur. Venit huc iam ante mensem, ego accersitus reperi quartanam  
simpl. sine accidentibus. Tempore paroxysmi frigidus erat quidam sensus non pun-  
ctionis, sed iniectæ aquæ frigidæ, nec magnum erat frigus, in calore habebat quan-  
dam inquietudinem, sed non magna erat, nec plus quam horas duas durabat. Hora  
accessionis interdum anticipabat, interdum postponebat, sed paruo interuallo. Ap-  
parebat durities maxime in parte sinistra. Propter obstructions ortas ex malo vi-  
ctus regimine in itinere, & reliquis febris non bene curatis. Dedi primo quæ inci-  
derent humores crassos & apperirent. Post euacuauit cum infuso Agarici cum con-  
fect. Hamech & syrup. rosato solutiuo. Postea regionem stomachi unxi oleo masticino  
pro confortando uentriculo. Dedi etiam confectionem diacimini cum Arom.  
rosato, sed minori quantitate. Ita cessauit tandem, & per 15. dies melius habere  
uidebatur, postea subsecuta sunt alia symptomata. Tussis magna, cum qua primum  
nihil aut parum admodum, & ualde inconcoctum expuebat, postea minori quadam  
difficultate & magis cocta expuit: sed tandem suppressa tussi, successit ingens dolor  
uentriculi per biduum, qui redeunte tussi mitigabatur. Adhuc hodie illo dolore ue-  
xatur, qui est sensus pungitiui, sed quoniam tussis adest etiam, utrunq; mitius uidetur.  
Adest magnus tumor splenis, & febris continua, licet & quartana uideatur habere  
suas accessiones. Adest inflatio testiculorum & tumor in cruribus: appetitus totali-  
ter cecidit, ita ut nec sitiat nec famecat. Montanus: Clarissimi D. & scholares do-  
ctissimi. In hoc uiro quem habemus curandum, est malus habitus totius corporis,  
præcipue membrorum naturalium, inflatio pedum, testiculorum, febris continua, quæ  
à die ueneris præterita durat huc usq; & fortasse nunquam fuit immunis à febre, à 5.  
Iulij, qua cepit laborare huc usq;. Habet igitur febrem, malum habitū, tumore omnium  
membrorum naturalium, patitur obstructions, adest tussis cum sputo crasso & uiscio-  
do. Ad hos morbos sequuntur symptomata. Quærendæ sunt omnium istarum dispo-  
sitionum, siue morbi siue symptomata sunt, causæ & natura. Causas dico coniunctas  
& proximas ac præcedentes, seu procatarticas. Primum uidebimus utrum fuerint  
intrinsecæ uel extrinsecæ causæ huius morbi, Ad hoc faciet, ut uideamus cuiusnam  
temperaturæ sit, quia sæpe temperaturæ sunt causæ dispositionis morborum. Præce-  
dunt enim, & habitum faciunt ad accipiendos morbos facilius & difficilius, ut in plu-  
ribus. Videndum igitur cuius temperaturæ fuerit, & uidebimus an aliqua fuerit in-  
trinsecæ causa morbi, an fuerint extrinsecæ ualidissimæ. Temperature cognoscuntur ex  
his, quæ apparent extrinsecus, colore & habitu corporis, actionibus & excrementis.  
Non discurrem tamen per omnes actiones, & præcipue animales, cum non nouerim,  
nec de constantia animi nec alijs, cum nihil eiusmodi cognitum habeam. Ego ad ea  
quæ perpetua sunt accedam, quæ permanent etiam si acquiritur malus habitus, & in-  
uestigabo naturam hepatis potissimum, à qua omnia dependent uel bona uel ma-  
la. Dicam ingenue quod sentio, uideo pilos adustos, uenas pro proportione huius  
corporis satis amplas, calorem uergentem ad atrum, hæc omnia & præcipue ampli-  
tudo uenarum & pilorū color, perpetuo permanent, etiam cum mutatur temperatura  
à calido ad frigidum. Hæc omnia adustionem significant, quæ non fieri potest, nisi à  
magno hepatis calore, generante sanguinē adustum, & licet nunc amplitudo uenarū



non facile apparet, quia totum corpus repletum est pituita, diligentius tamen consideranti satis patet, & ita non possum dicere nisi hepar fuisse calidum & siccum. Hepate calido existente difficilimum est cor esse frigidum, cum calor hepatis foueatur, & actuetur a calore cordis, qui actualis, & a quo reliquorum membrorum calor in potentia, actuetur & habituatur. Cum autem a forma procedat actus, talis erit actus, qualis est calor cordis, & ita non possum uidere, quod ista aduersionis signa, & calor hepatis possint stare cum frigiditate cordis. Fuit igitur hepar calidum & siccum, (licet temporis successu postea & alijs causis accedentibus sit factum frigidum, & sicut dicunt maleficiatum, ita ut nullum membrum se naturaliter habeat) cor etiam siccum & calidum, & ita in corpore potius augebatur sanguis crassior, calidus & siccus quam pituita. Postea contigit, quod usus sit plurimum cibi crassus, & animi accidentia plurima habuit. Qui uero calidi & sicci sunt hepatis, gracilioris sunt abdominis, non abundant pinguedine, nec omentum habent ita munitum, ut tenere ac fouere possit calorem innatum uentriculo secundum Galenum; uel calorem quem in se habet iuxta Aristotelem, det uentriculo uel uicinis membris. Est enim in pinguedine causa caloris secundum Aristotelem & Galenum, & ita non poterit omentum uel calefacere secundum Aristotelem, uel fouere calorem uentriculo innatum, secundum Gal. atq; adeo redundat plurima pituita propter uentriculi imbecillitatem. Nec pugnat quod aliquis sit adustus, & generet multam pituitam. Imò semper sic solet contingere, quod cum aliquis sit adustus generet multum pituitam, & qui abundant humore melancholico, sunt etiam maxime pituitosi, & ideo semper cum purgatur melancholicus humor, adiicitur aliquid euacuans pituitam. Causa igitur huius rei est, calidum hepar generans sanguinem crassum & adustum: frigid. uentriculi generans plurimum pituitam, & hæc erat temperies, quæ est causa dispositiua ad hunc uel illum morbum. Incidit tandem ex aliqua causa in febrim continuam, in qua a medico curatus sine phlebotomia, quæ in febris continuis est admodum necessaria, nec euacuatus est ut debebat, uisa est ei terminari 21. die, sed non est terminata, sed facta permutatio, ut Hipp. 3. aphor. Ipse eam cessasse dicit, cum sit immutata ad aliam naturam. Habebat continuam quæ pendebat a materia crassiori, non enim aderant accidentia, quæ testarentur super acrimonia humoris; & natura est aptus ad generandam pituitam & melancholiam, & in habentibus symbolum sit facilis mutatio. Ideo ex mala ratione uictus, & non recta curatione (Auic. 1. 4. de febris quotidianis quando transit 14. &c.) redditus uentriculus se ipso imbecillior, concoctio etiam in membris deterior, & mala dispositio membrorum, ut cum non nutriantur sequatur tumor membrorum. Erat autem corpus naturaliter aptum ad obstructions, hepar calidius calore igneo, uentriculus frigidus, & febris calorem igneum auget, & naturalem minuit. Ideo fit affatio inæqualiter in chylo crudo, non æqualis concoctio sicut in elixatione, ita ex naturali temperie, uictus mala ratione, secutæ sunt obstructions, ad quas putridæ sequuntur febres subito, quare obstructions factis, non potest uiuere spiritus & calor naturalis. Ideo ubi est cacoehymia, & accedunt obstructions, humores mali non possunt euentari, sed putrescunt, & ideo semper remansit febris, quam fuisse purto ex pituita quadam subtiliori putrescente in uenis, & credo initio fuisse duas febres complicatas. Sed quia in materia crassiore tenuiores partes facilius concoquuntur, ideo febris quæ a bile erat facilius recessit, remansit illa quæ a pituita tenuiore erat, quæ a Græcis *τυφλός* dicitur, quasi fumus semisepultus in ligno, quod non uult arde- re, & ab Arabibus febres laticæ, quia latere uidentur, & hanc dicit. Auicenna ualde assimilari heceticis, & sequitur ægrotudines quæ male curantur. Est igitur ita curatus, ut nunquam integre sit restitutus, sed semper actiones læsas habuerit, ita ut nunquam corpus fere sanum habuerit, ex quo cœpit ægrotare. Accessit deinde Venetias, & continuitas illa plus etiam aduulsi sanguinem perseverante calore igneo. Adustus igitur est sanguis, & multiplicatus humor adustus in corpore, ex quo incidit tandem in Quartanam. An modo ex naturali an ex adusto humore? Sæpe contigit aduri bilem & fieri



& fieri sicut cinis, sicut fit in ligno, cum aduritur ab igne fit carbo, & est ignis ille feruentissimus: sed ubi ulterius aduritur fit cinis. Hic non habuit sæua accidentia: & quidem febrem factam ex eo humore, testantur omnia quæ de temperatura diximus, semper autem ubi durat febris quartana, fiunt obstructiones, & calor hepatis concluditur in angustum. Ideo maior fit, & augetur adustio in quantitate & qualitate etiam, seu putredine: quæ deinde, propterea quòd hepar non amplius attrahit, distribuitur per totum corpus, & facit febrem continuam quidem, sed quæ habeat accessiones etiam quartanas, propter adustionem materiæ. His perseverantibus, & calore naturali, qui in igneum mutatus erat, etiam resoluta, tandem multiplicata materia hepatis, & omnes venæ repletæ sanguine aquoso, quia enim ventriculus non concoquit, ut oportet, nec fit chylus debito modo: hepar attrahit non concocta perfecte, & ipsa inæqualiter conficiens partim adurit, partim non concoquit, ac ita generantur ac multiplicantur duo diuersi humores in corpore, qui postea sparguntur in totum corpus. Vbi autem sanguis aquosus uenit ad membra, non assimilatur eis, quia non possunt concoquere, & ideo fit dispositio leucophlegmatia uel anasarca, uel malus habitus, in quo corpus redditur seipso albius, & loco sanguinis generatur pituita. Talis enim color est corporis, quale est dominium humoris. Est ergo pituitæ dominium in hoc, & corpus accedit ad malum habitum, qui tandem in anasarca desinet. Hæc omnia subsecuta sunt ad priora, obstructiones & adustiones, aucta mala dispositio uentriculi, multiplicatus humor pituitosus & adustus, successit quartana, & tandem leucophlegmatia, ut iam accedat ad anasarcam, ac per totum corpus ubi premitis, percipietis tumorem, maxime tamen in pedibus, quia ob grauitatem materiæ tendunt deorsum magis illi humores, ut notat Galenus. Incipit igitur iam Anasarca, atq; utinã ea sola esset, & esset pituita illa in uenis, & non haberet fomentum à membris. Videmus tumorem insolitum & insignem, & hepar ipsum male dispositum, contingit multiplicari pituitam, & uentriculum repleri. Vnde propter euaporationes ad caput fit profundioris somni: inde destillantes ad pectus, excitant tussim, qui est motus pulmonis ad excernendum materiam lædentem. Cum igitur destillat materia ad pulmonem, necessarium est succedere tussim, non expuebat uel ex parte uirtutis, & instrumentorum, uel ex parte materiæ, quæ cum nimis crassa est, non potest à spiritu illo collecto & coadunato in pulmone, ac subito erumpente propelli, si uero nimis tenuis materia, effluit spiritus, & dimittit materiam, si media, expellit, quia crassiuscula est ut non cedat, & tum non tam crassa est, ut propelli nequeat. Primo igitur non expulsa est, quia tenuior, donec concoqueretur. Sunt autem duæ uia: amplæ, per quas descendit catarrhus, œsophagus & aspera arteria, nunc ad hanc nunc ad illam fluit, & non est mirum, si in uentriculo percipiat flatum, quia pituita à cerebro descendens, semper flatuosa est. Si igitur facit moram in uentriculo, & huc illuc agitata quærit exitum, flatum facit, qui propter leuitatem sursum ascendunt, & faciunt dolorem pungitiuum, non ratione materiæ, non enim acris est, sed loci, qui sensibilis etiam est admodum: sicut fit etiam in dolore colico, quia materia crassior distendit tunicas. Quandoq; cessat tussis & augetur dolor: aliquando tussis augetur, & dolor minuitur, prout materia tendit, uel per hanc uel per illam uiam, & cum diuiditur materia ad utrumq; locum, dolor est moderatus. Hæc licet omnia ad se inuicem consequuntur, necessario tamen ex ijs nondum curatio habetur. Quid igitur dicendum, quid affert intentione curandi? Habemus morbum in intemperie & obstructione, quæ est morbus in compositione. Intemperies: est calidus, & siccus, & frigidus, & humidus, lapsus qui est maximus à contrario ad contrarium temperamentum. Ergo maximis remedijs opus habet, & difficilis erit curatio. Obstructiones magnæ in omnibus membris naturalibus, hepate, liene &c. ad quas sequitur febris tanquã accidens. Aue. 1. 4. Sed hic credo esse abscessum in utroq; membro, & credo quòd tangi possent, si possemus remouere flatum & tumorem, & est maximus casus uirtutis, quæ nunquã potest



potest esse ualida, ubi est dominium pituitæ, ut multis locis Galenus docet: cum igitur refertur sit secundum omnia membra naturalia, erit ualde debilis calor. Habemus igitur intemperiem frigidam & humidam, obstructions ad quas tumor, febris, & reliqua accidentia sequuntur, sicut umbra corpus. Curandus igitur morbus, & curantur symptomata. Non igitur est curandum neque de catarrho, neque de somno profundo, neque de anasarca, neque de febre, neque de casu uirtutis, nisi quatenus in uniuersali, sicut & Auicenna præcipit, quando catarrhus cum febre, ne cures de febre, sed de catarrho cura morbum ad quem febris sequitur. Obstructio igitur curanda, curata optime obstructione, hepar debet calefieri & reduci ad temperiem naturalem. Vnde debet inchoare medicus: Donec erunt obstructions non poterimus tollere intemperiem hepatis, non tollemus obstructionem, nisi euacuemus materiam obstruentem. Scitis autem Aphorif. si talia purgentur &c. Qualia oportet purgari: peccat pituita, Ergo et præcipue purganda est, & aquositas una educetur. Qui autem uult euacuare pituitam, debet habere curam caloris innati, & uirtutis cuius minister medicus est. Videmus imbecillum uirtutem, pituita uero non nisi ualidis euacuari potest, quæ nocent uentriculo & membris naturalibus, est enim crassa & rebellis. Sed debemus respicere uirtutem quæ debilis. Sed & hepar & uentriculus imbecillis, & amobus nihil magis nocet, quam multitudo medicamentorum, relaxant enim ea, ut fiant sentina omnium excrementorum totius corporis. Habemus igitur quid sit agendum, sed quod ad modum operationis est difficultas. Quid agendum: Primo euacuandum, & postea corrigenda membra naturalia. Quia autem materia rebellis, & propter substantiam propriam, & ratione obstructionum, ego inciperem ab ijs quæ aperunt, calefaciunt, exiccant & confortant. Iam enim his omnibus indigemus, instrumenta sunt omnia amara cum astrictione, absinthium quocumque modo datum, Marrubium uel Præsium, Aloe, Chamedrys, Capilli Veneris. Nec opus est ut fugiat amara, si uult curari. Amara enim sunt quæ curabunt: dato lenitiuo aliquo exhiberem syropos hoc modo factos:

℞. Syrupi de Absinthio

De præsius

Oxymellis simplicis ana ʒ 3.

Postea fiat decoctum ex Chamedri, Capill. Veneris, Agrimonia & Cetrach, quod diligenter expressum reseruarem, & ita uterer. Diuiderem illas ʒ 9. syrupi in quatuor partes, & pro singulis partibus adderem huius decocti q. s. pro uno syrupo, quia autem adest maxima obstructio, non uellem esse contentus his, sed uellem exhibere singulis diebus ante assumptionem Syrupi Trochiscum unum, ita paratum:

℞. Aloës

Rhabarbari

Succi absinthij

Liquiritiæ ana ʒ 2.

Et fiant Trochisci, de quibus singulis diebus exhiberem ʒ 1. in forma pill. Immediante ante assumptionem syrupi. Corroborabit uentriculum, aperiet obstructions, confortabit hepar: facta aperiuntione, coctione, & præparatione, iuxta præceptum: Corpora quæ purgare uoles, oportet fluida facere. Postea ad purgationem accederem, & facerem euacuationem cum euacuantibus pituitam, primo: & postea si apparerent signa Melancholiæ, etiam eam euacuarem. Acciperem primo confect. hamech, postea corpore euacuato accederem ad confectioes magnas, & singulis septimanis darem ʒ. 1. Mithridatici. Sed circa confortationem membrorum naturalium præcipue sollicitus essem, idque tentarem tali remedio: Acciperem Citonia, & decoquerem, & per setaceum transmitterem, similiter & carnes Dactylorum & simul commiscerem cum mica panis assati, & infusi in uino aromatico, maluatico. Hæc omnia contundo simul, & appono pulueres Garyophyllorum & macis, & postea in panis li-



nis lineis tenuissimis, applico omnibus membris naturalibus, & in hoc multum confido: est enim præstantissimum & efficacissimum in reficiendis & confortandis membris naturalibus. Victus deinde sit attenuans, uinum album pati non potest, rubrum bibat, non ualde nigrum, & tenue. Carnes sint facilis coctionis, & pauci nutrimenti, aues montanæ, pulli iuniores asii uel elixi, & semper aliquid aspergat Cinamomi ad sua fercula; semper anisum comedat ante cibum. Maneat in lecto, & ibi cum pannis lineis foueatur calor naturalis. Fiat item linimentum ex oleo anethino, & oleo de spica, quo inungatur totum corpus, pro fortificando & fouendo calore naturali membrorum.

De febre putrida in hecticam mutata,  
Consilium XXII,

**P**armacopola putrida febre laborauerat prope menses duos, postea ad hecticam uenit, putrida non recte curata. Hæc quia requirit humectationem totius corporis, & caloris præternaturalis restinctionem: uoluit oleo amygdalarum dulcium inungi corpus, quo nihil est præsentius, & antea Montanus in Doctore Balsiano fuerat expertus. Longo tempore cum eo non fuit Frisimelica; hodie ad eum uisendum adiit. Pulsus erat minutus, durus: in urina sedimentum ex aduisione nigricans. Minutus autem pulsus dicitur, non uehemens: quod euenit, aut propterea quod uirtus est imbecilla, dissoluitur enim calor ob humidum nutrimentale exiccatum, quod calori naturali semper est adiunctum, haud secus ac siccitas semper comitatur præternaturalem: aut propter instrumentum, id est, arteriam, cuius tunicæ exaruerè nimio calore, ac propterea motui minus sunt idoneæ. Minutus itaq; pulsus est, quia neq; uehemens, neq; frequens; & durior, propter siccitatem totius. Ita pulsus argumento est bonum uirum peruenisse ad febrem hecticam. Huc accedit quoq; consumptio totius corporis. Quid igitur amplius faciendum? Sedulo cauendum uenit, ne qua ratione febris augeatur, & deniq; in marasum, seu tabidam hecticam (uerfatur enim adhuc in prima specie hecticæ) incidat, pereatq;. Quibus autem medijs id fiet? Infrigidantibus ratione febris, & humectantibus, propter corporis siccitatem. Humectabimus autem substantiue corpus delapsum in tabem, cibo, & rebus alijs externis. Quia uero pituitosa substantia sua multum humectat, non fuerit inutilis: sed quia parum aut nihil nutrit per se, operæ precium fuerit decoqui eam cum iure pulli & carniū. Utile quoq; foret auxilium syrupus uiolaceus. Contra, uiola tantum qualitate infrigidat, ergo inutilis est. Respondeo, sola quidem uiola qualitate humectat, at syrupus propter saccharum & decoctionem humectat substantiue. Cur non uteris decocto & carniū testudinis, quod alij faciunt? Ab his in præsens abstinendum duco, propterea quod uentriculus sit imbecillis, & corpus obstructionibus non uacet. Sed utatur decoctis capillorum Veneris, endiuia, & aliarum herbarum: postremo inungatur foris oleo Amygdalino dulci, &c.

De quodam laborante febre putrida quotidiana,  
hectica & hydrope,  
Consilium XXIII,

**A**usa primitiua sumitur ab eo, quod noctu multum uersatus est in aëre frigido, unde tussim habuit uehementissimam cum catarrho, & inde in febrē cum splenis tumore incidit. Symptomata talia sunt: Quotidie febricitat circa horam decimam nonam, frigus durat usq; ad uigesimam primam, calor non transit mediam horam, postea melius habet, ut sibi uidetur. quia



quia non percipit quæ nos: symptomata non habet adeo horrenda, non habet dolorem capitis magnam, nec sitit, egerit etiam, ita ut uideatur potius simplex febris. Vrina ad subnigredinem tendit, rubra tamen, in qua etiam uidi subnigram nubeculam. Pulsus durus, ut arcus tensus, & propter duritiem adest frequentia longe maior quam uelocitas, & quasi tactui resistit: uidentumque an hæc durities sit ratione materiae, an uero ex parte uirtutis. Adest & alia ægrotudo, quæ genere differt à priori, tumor in toto uentre, & tensio cum sonitu, ut in tympanite, & difficultas anhelitus, ut fere suffocetur. Regula itaque sit uobis: Semper prima statim uisitatione uidentum est, quæ operationes sint læsæ. Illæ enim indicant morbum, & sunt signa quæ non fallunt. Operationes animales, hic non sunt læsæ, recte intelligit, memoratur, discurrit, omnes interiores sunt sanæ, ergo eas non considerat Medicus: nec exteriores læsæ sunt, bene uidet, audit, odorat, sentit, appetit, mouetur secundum totum corpus, & exercet omnes operationes animales, ut sanus. Vitales læsæ sunt, quod colligitur ex pulsu non naturali. Sunt enim tres causæ pulsuum: Primo necessitas caloris euentandi, qui prout maior uel minor fuerit, uariat pulsus. Secundo, efficiens causa est uirtus mouens. Tertio, corpus motum, uidelicet instrumentum, in quo requiritur, ut sit apta arteria, non nimis dura, nec mollis, sed ut sit moderata inter duo extrema, quia si peccat in alterutro, impeditur. Hic primo est durities in arteria, & est pulsus frequens, & uelox, qui indicat auctam esse necessitatem euentandi caloris. Est paruus, quia uirtus tanta non est, ut possit dilatare arterias, & quia debilis est, ut una dilatatione euentationi satisfacere non possit, ideo id pluribus uicibus supplet. Ex his colligitur: in corde esse calorem non naturalem, qui auget necessitatem euentationis: nec causam efficientem seu uirtutem recte se habere, & instrumentum seu arteriam etiam seipsa esse duriores. Operationes naturales expresse & notabiliter læsæ, ut supra in hydrope ostendimus. Et manifestum est hic initium hydropis, seu tympanitis, ut apparet ex tumore uentris. Arguimus etiam duritiem esse in splene & hepate, quia nihil facilius, ut Galenus etiam considerauit, ubi tam diu durauit obstructio, cuius ratione distributio alimenti non fit per uenas, nec potest confici alimentum, sed fit cruda aquositas, quæ distillat & transit sub forma uaporum inter peritonæum, & intestina, ubi adhuc magis densata à frigiditate, fit ascites, quia habet formam eius, & sic concoctrix uirtus in uentriculo & hepate læsa est. Ubicumque autem est actio læsa, ita ut sit diminuta, uel ablata, de necessitate id fit per frigiditatem: quando uero corrupta est, per caliditatem. Hic actio diminuta, ergo frigiditas. Et quia cum toto corpore communicat, ergo in principio est, in hepate, in quo fit sanguis. Illud frigidius redditum est per affluxum materiae, unde fit tympanites. Est ergo morbus primum in intemperie, per affluxum materiae, & deinde etiam per essentiam. Postea est etiam in compositione, quia obstructio est in meatu. Est & alia ægrotudo: calor præternaturalis in corde, qui cum diffunditur per corpus, facit febrem: sicut Galenus in libro de inæquali intemperie, & de constitutione artis ait, duas inæqualitates, id est, frigiditatem & caliditatem in eodem membro non inconueniens esse, & hoc sæpe fit, ubi primo materia refrigerans occupat membrum, postea caliditate ex corde fluente, per eius affluxum inducitur calor. Est igitur curatio, quia calor ille rectificat, subtiliat, digerit & curat, ut etiam Hippoc. testatur: febris spasmo superueniens melior, quia febris resoluit materiam, & tollit spasmus. Ita hic etiam sunt duo morbi, febris propter calorem præternaturalem, quem indicant etiam exeuntia, urinæ enim rubræ sunt propter adustionem, & hypostasis adusta est, quod significat assari substantiam sanguinis. Altera ægrotudo est hydrops, qui est principaliter, & fundamentaliter à temperatura hepatis, & est tympanites. De febris uidentum cuius speciei. Audiuitis quod inuadat eum frigus, oportet igitur adesse materiam, quæ mota facit frigus, quia frigus in febribus pender à materia. Videndum igitur à quo humore pendeat, quod ex operationibus læsis per suos effectus cognoscitur. Est igitur febris materialis, quia frigus apparet, quod inducit subito motus materiae à uenis ad partes exteriores, & quando ea materia, siue calida sit, siue



fit, siue frigida, pertransit musculos, semper fit frigus, propter quod calor retrahitur ad centrum, ut succurrat cordi, & ita fit frigus propter contractionem caloris, & quia muscoli mordicantur, ut Galenus copiose declarat. Habemus igitur febrem putridam pendentem ab humore, unde nascitur generalis indicatio, quod sit euacuandus. Sed nescimus adhuc, qualem humorem debeamus euacuare. Oportet igitur distinguere, si enim distinctæ erunt diuisiones, distinctæ etiam erunt indicationes curandi. Hic scimus esse materiam, sed nescimus, quæ sit, & ubi sit: ergo non scimus quomodo sit euacuanda. Quare uidentum est. Dicit se habere frigus leue, quoad intensiorem, sed diu durans, per tres scilicet horas, etiam non est concussio nec tremor, sed simplex frigus, non habet sitim nec dolorem capitis, famem tantum habet. Calor præterea non multum mordax, frequentia quidem in pulsu, sed non ita insignis. Hi sunt affectus consequentes læsas operationes, ex quibus colligitur materiam segnem esse, & non acutam. Nunc igitur consideremus naturam humorum. Bilis in corpore est humor mobilissimus, quia calidus & subtilis, ex propria natura mobilis, mordax. Nullum enim membrum tolerat, ubi hic peccat, omnia sint in motu. Pituita tarda ad motum, crassa, uiscosa, frigida, sine mordacitate adhæret, & impingitur, & motus segnes facit: ubi peccat, longos morbos affert. Sanguis medio modo se habet, nec ita tenuis, ut bilis, nec ita crassus, ut pituita, quoad caliditatem, moderate mouetur, nec putrescit nisi intra uenas. Melancholia est segnis, quia crassa & frigida, estq; mordax, non ratione caliditatis, ut piper, sed ratione aciditatis. Videte meam methodum, & Gal. de simp. medic. facultatibus. Nunc ad propositum. Causa magna frigiditatis est, uel subtilitas materiae, uel multitudo. Hic est frigus segne, igitur non est materia calida, & tamen est multa materia, quia diu durat frigus. Nec morbus maturatur, quia semper frigiditas. Finis unius paroxysmi est initium alterius. Ergo multa materia, & semper eadem hora affligitur. Indicat igitur humorem pituitosum putrescentem, qui facit quotidianas inuasiones. Et ideo quia materia pituitosa, in morbo non est calor acutus, nec sitim habet, nec dolorem capitis, multum tamen comedit, propter uentriculi frigiditatem, quia fames est calidi & sicci appetitus, ideo à frigiditate fit moderata, quæ non sit tanta, ut stupefaciat uentriculum. Pulsus uero inæqualis est, propter materiae aggrauationem. Calor etiam magis suffocatur à materia frigida, & humida, quam à biliosa, & ideo pulsus fit inæqualis. Est ergo humor pituita. Materiam enim frigidam esse apparet ex omnibus signis. Sed quod non sit melancholia, patet primo, quia non est mordacitas, secundo frigus non adeo intensum ut in quartanis, Tertio non est accessio de quarto in quartum. Ergo est pituita. Sed an sit simplex humor pituitosus. Respondeo, raro inuenietis unum humorem putrescere, cui non sint admixtæ partes alterius, in omnibus ferè semper commiscetur bilis, & pituita. Nam pituitæ uiscositas facile amplectitur bilem, & sic una transit, ita ut ferè nunquam sit bilis, ubi non reperiatur quoq; pituita. Raro tertianam exquisitam inuenietis, quoniam semper sit aliquid crassi humoris admixtum. Raro etiam quotidianas habebitis, ubi non sit aliquid admixtum bilis. Et hic quoq; urinae tinctæ significant bilem, cum pituita putrescere. Est ergo primo febris putrida, pendens à pituita cum portiuñcula bilis admixtæ, & dicitur amphimeriana, quia singulis diebus inuadit. Quia autem humor putrescit, uel intra uenas, uel extra uenas, & ex hoc diuersæ oriuntur indicationes, aliter enim operamur, cum intra uenas est putrefactio, aliter cum extra, quid de hoc nostro casu dicemus? Hic putrescit extra uenas, & illud inde scio, quia est cum frigore paroxysmus. Dixit autem Galenus proprium febrium continuarum non horrere, sed hæc incipit cum frigore, ergo extra uenas putrescit. Sunt enim hic obstructiones, quæ faciunt hepatis & uentriculi frigiditatem, quia non distribuitur cibus, nisi parum, si enim nihil distribueretur, non uiuere posset. Duo hæc mala proueniunt ex obstructione, refrigeratur hepar & uenter: unde multiplicatur pituita, & prohibetur euentatio, unde fit putredo. Quid igitur agendum? Debemus euacuare humores existentes in uentriculo. Sed non potest fieri exquisita euacuatio propter obstructionem, & priusquam euacuemus, corpora fluida



da reddenda sunt secundum Hippocratem. Fiunt autem fluida, quando aperiuntur uia, per quas humor transire debet. Ergo si uolumus euacuare, oportet obstructions ante aperire cum his, quæ habent uim aperiendi. Habemus duo instrumenta aperiendi: quædam per se aperiunt, ut omnia amara, & hæc est apertio in profundo, quædam per accidens, ut primo abstergentia, quæ abstergunt paulatim in superficie tantum, & leniter aperiunt de parte in partem, talibus utimur cum longum est iter. Secundo incidentia, quæ aliquando efficacius agunt, quam abstergentia, quia penetrando subtiliant materiam. Nos in nostro casu indigemus paulatim aperiensibus obstructions. Non igitur utemur aperiensibus per se, quia nimium aperiunt, & periculum esset ne cruditates præcipitent ad uenas. Propterea non oportet subito aperire initio, alias scirrhum in hepate faceritis. Nec detis in principio syrupum de Absinthio, ut multi faciunt. Ego syrupum talem ordinavi:

℞. Oxymellis simpl.

Mellis rosati

Aquæ Cuscutæ

1. s.

s.

3.

Misce, fiat syrupus. Oxymel incidit, & aperit, sed quia erodit intestina, adieci et correctionem mel rosatum, quod etiam corroborat uentriculum, adieci etiam aquam Cuscutæ propter penetrationem. Eamque indicationem à membro sumpsi. Est membrum longinquum, in quo obstructio aperienda, ideo dedi quæ iuant apertionem, & sunt subtilium partium. Est autem Cuscuta efficacissima in penetrando & incidendo, nec tamen facit apertionem per se, ut amara.

De eodem ægrotante.

Consilium XXIIII.



Vnt signorum capita, à quibus indicationes sumimus, cum essentiam morbi querimus. Operationes læsæ animales, uitaes, & naturales. Secundo affectus consequentes, ut calor, habitus corporis. Tertio, excrementa, sputum &c. Vidimus in nostro ægro, quæ operationes sint læsæ, nempe uitaes & naturales, unde inuenimus duas ægritudines oppositas, uel omnino uel ex parte, frigiditatem hepatis & uentriculi, per affluxum primo, & existimo etiam nunc essentialiter. Quia enim longo tempore durauit, uerisimile est (non dico certum) quod ex longa illa perseverantia sit facta impressio, & intemperies per essentiam. Sunt autem duæ intemperies contrariæ in hoc corpore, ambæ per affluxum, nec mirum uideri debet. Duæ enim temperaturæ contrariæ cum materia in eodem membro esse possunt, quia habent fundamenta diuersa. Quod Galenus etiam de inæquali intemperie docet fieri quotidie. Sed non potest fieri, ut duæ contrariæ temperaturæ sine materia sint in uno membro, ut in una parte digiti non potest esse caliditas & frigiditas. Et tales ægritudines periculosa sunt, ut cum medicina contrariæ miscentur, ut in Philonio Piper Opium si superet, occidet, si opium item. Eius autem refrigeratio periculosior est, quam caliditas Piperis. Est igitur in hoc febricitante primo febris calida, & sicca per affluxum à materia pituitosa, putrefacta in toto corpore extra uenas. Et est febris continua, cum frigore tamen, ita ut unus paroxysmus inueniat alium. Est secundo obstructio, ex qua fit tympanites. Febris hodie eadem incipit 19. hora. Venter uidetur auctus, maxime ad partes superiores, unde habet grauem anhelitum, quia diaphragma etiam obsidetur ab illa materia, nec tantum haurit aeris, ut tria aut quatuor uerba comode eloqui possit. Excrementa non ostenduntur nobis, quæ tamen debetis considerare quotidie, quia ex his non minus, quam urinis iudicamus. Urinæ non indicant alios affectus quam eos, qui sunt in uenis, uel uasis urinaris, id est, meatibus, qui deueniunt à uenis ad renes, & à renibus ad uesicam. Hic nihil habemus, quod ostendat in eo uasa urinaria læsa esse. Sed uolumus scire, quæ

coctio



coctiones in uenis, quis color, & qui humores: hæc possumus ex urinis iudicare, omnia non. Porro in urinis quinque considerantur. Primo, color proprius urinae est tendens ad paleam hordei, subcitrinus, ac luteus, ac si aliquis parum Croci cum magna quantitate aquae miscet. Hic habet colorem discedentem a uero colore urinae, tendit enim ad citrinitatem intensam. Aureus color indicat multum caliditatis in uenis. Secundo, supereminetia, uidelicet in superficie, supernatantes quaedam maculae quasi olei, arguunt quod calor colliquatur uel in renibus, uel in uenis, tamen non credo in renibus potius, quam partibus alijs. Tertio, substantia est crassa, ob humores crudos, & propter multitudinem pituitae, & crassos crudosque humores in uenis, quia hepar frigidum & humidum. Neceffe est urinam crassam esse, quia excrementa sunt pituitosa. Quarto liquor, in hoc adest aliquando subobscuritas, & paucitatem caloris & spiritus significat, aliquando fiunt magis obscurae & subiugales, ut alinorum, sicut in pestilentibus, quae significant mortificationem spirituum, & fugiunt Medici sicut diabolum, & recte faciunt. Hic autem obscuritas significat imbecillitatem spirituum, & quod sint spiritus crassi, & turbulenti. Est enim luciditas a spiritu. Vnde fit, quod, quae lucidae sunt, dum eijciuntur, postea non ita, cum a spiritu relinquuntur, & ad ignem etiam reuocantur. Quinto subsidetia, hic crassa est, ut farina, quia, ut 2. Progn. dicitur, collisionem carniuum significat, ob multitudinem caloris. Omnia ista mala sunt, & est malus hic casus. Nam tumor uentris se contrahit ad pectus, ut non loqui possit, ideo decreui euacuare uentriculum hoc modo:

℞. Specierum Hierae simpl. 3. 2. Syrupi de Absinthio parum, cum saccharo inuoluatur in hostia non sacrata, ad formam boli. Video enim hic tumorem augeri, ergo non oportet syropos exhibere, sed uidere, ut calor euentetur: quia prohibitio euentationis in respiratione, quae fit propter membra turgentia & repleta, auget calorem, & febrem, & impedit calorem naturalem.

### De eodem aegrotante.

#### Consilium XXV.



VLta symptomata, imò morbi erant in hoc puero, nunc omnia uidentur remissiora. Nam febris est remissa, quae antea eum semper inuasit 19. nunc potius percipit frigus aeris, & non frigiditatem intrinsecam. Est laetus, & bene sperat. Pulsus etiam in frequentia, & celeritate remisit, quia non adest eadem necessitas euentandi. Sicut uos, dum sani estis, non est opus, ut utamini ultimis uiribus, nisi quando quis impellitur ui, ut defendat se, ita quoque fit de uirtute. Ante cum esset maior necessitas, ut calor igneus euentaretur, frequentior erat pulsus, eoque magis, quia simul etiam erat durus, id enim magis facit resistentiam. Sed saepe imponit hominibus pulsus durus, cum non sit uehemens. Est igitur considerandum corpus arteriae, an durum, & plenum. Vehemens pulsus proprie dicitur, ubi uirtus uehementer impellit cum tono, & uigore. Porro natura non utitur summo conamine, nisi cum est opus. Urina etiam remissior est, in colore & in superficie, non apparet pinguedo illa, seu oleum, seu oleaginosae guttae. Substantia etiam mutata indicat non esse tantum calorem liquefacientem, est adhuc crassa quidem, sed lucidior, quod signum est magis uigere calorem naturalem. Subsidetia magna est, sed illud propter duo potest contingere, uel propter materiam colliquefactam, torrefactam, & excoctam exeuntem, uel propter syropos dilatantes, & incidentes, cum medicamento ex Hiera, quae multum aperit. Fieri igitur potest, ut illis obstructionibus aperitis, materia nunc exeat per urinas, quod uerisimile est, quia uenter detumuit, quod ostendit materiam aliquam esse euacuatam. Si igitur bene se gereret, spes esset curationis. Quia uero euacuatio illa ex Hiera & melle rosato bene eduxit, ita ut uenter

d 2 detur



uenter detumuerit, & febris cessarit, nunc laudarem usum rerum per se aperientium, ut syrupum de Absinthio, qui multum aperit, item syrupum de Eupatorio. Sed cum nostri Aromatarij non bene conficiant, & quia optimum est in apertione addere aliquid acre, ut fortior fiat penetratio, ideo adderem oxymel, quod est frigidum, & incisiuum, quia multis numeris acetum plus refrigerat, quam calefaciat mel, ut Galenus 4 de simpl. medic. docet. Quare sic procedendum:

℞. Syrup. de Absinthio  
 Oxymellis simpl. ana ʒ 1.  
 Aquæ Cichorij ʒ 3.

Misce, detur mane loco syrupi. Quia tantum penetrare uolumus, quantum aperire, tantum refrigerare quantum calefacere. Addere potestis alias etiam subtiliores aquas, ut Pulegij, Cuscutæ, Calamenti, quæ omnes sunt frigida, licet extrahantur ex rebus calidioribus, ita uideatis me non dedisse primum quod per se aperiret, quæ omnia fundantur in materia terrestri crassa, calida, & adusta, quæ propter illud terrestre diu hærent in loco, & quia omnia etiã sunt calida, admodum aperiant, & penetrant ualde, qualia sunt omnia amara. Acría uero ut Pulegium, Calamentum, Piper, ipsa etiam calida sunt, sed non per se aperiant, sed per aliud, eo scilicet quia incidunt & attenuant. Quod si acría (ut Piper) cum amaris misceantur, ea uehementissime aperiant. Acre enim, uel acutum (ut uocant) propter subtilitatem transit uenas, incidit & penetrat, amarum uero propter terrestritatem adhæret, & permanere facit, ac concoquit. Inde patet, quod Sauina efficacissima est in aperiendis menstruis, ita ut etiam abortum faciat, quia adhæret, & omnes tres illas condiciones habet; est amara, cuius ratione aperit & concoquit, est acris, cuius ratione subtilis est, transit uenas & incidit, est terrestris substantiæ, & ideo figitur. Si primo per se aperientibus processissem, periculum fuisset, ne cum uellem aperire, maior fieret obstructio, dum materia cruda & incocta regurgitaret ad uenas. Quidam in mulieribus patientibus obstructiones menstruorum propter sanguinem crassorem, ut non possit transire, sed hæreat in uenis, medicinæ ignari, utuntur calidis incidentibus & attenuantibus, quibus magis in crassant sanguinem, & obstructiones augent, ut postea uix curari possint, sicut uidi in muliere quadam. Ego admiscui amara cum incidentibus, quia hæc penetrant, illa aperiant, & remanent, quæ enim amara, non bene transeunt, quia uix in primo, & ad summum in secundo calida sunt, ideo non impetuose transeunt, sed semper remanent. Remouenda est nunc quædam dubitatio, quæ mota est à doctissimis scholaribus, quod dixerim, amara per se aperire: acría per aliud, penetrando scilicet, quia dum transeunt, uias faciunt, & dum manent, obstructiones. In Galeno de simplicibus sunt quædam difficultates, propter uersiones incommodas, in capite de abstergentibus & repurgantibus. Abstergere est à prima superficie remouere sordes, & ita Galenus intelligit, ut cum abluimus manus, uel mulieres lintea, cum succo limonum, farina fabæ, furfuribus. Repurgantia, quæ *ἀπορριπτικά*, ea nos proprie aperientia nominamus, quæ non superficiem abstergunt, sed penetrant, & infarctum illa uasa liberant, qualia sunt amara omnia, & nitrosa, quæ proprie aperientia dicuntur. Si uultis repurgantia nominare, per me licet, modo in re non erretis. Amara fundantur in substantia crassa terrestri, non facile penetrant, sed adhærent, & ita sicca sunt, ut non sint nutrimentum animali, quatenus amara. Ex caliditate penetrant, ex siccitate abstergunt, & ex substantia terrestri moram faciunt. Oportet enim hæc tria concurrere, ut adsit mora, ut penetrent, ut exiccet. Tria hæc ordine se habent ad inuicem, abstergunt quæ sicca sunt, & moderate calida, uel si etiam frigida, sunt magis remissa. In aperiendo orificio (quæ *ἀνοσπαστικά* appellant) egemus calefacientibus, sed non multum subtilibus, ut adhæreant, & talia sunt acría, ut cepa, panis porcini, quæ cum caliditate habent substantiam crassam, & adhærent. Aperire obstructiones & materiam infarctam in uenis uolo, hic requiruntur amara, & tota difficultas ex ueris



ex uersione orta est, *ἀποσπαστικὴ* apertionem orificiorum significat, cum ipsi apertio-  
nem uenarum transfulerint, *ἀνασπαστικὴ* quæ sunt obstructionem aperientia, illi expur-  
gantia uerterunt. Nunc ad nostrum casum reuertar. Videtis obstructionem, ex qua  
tympanitis, & febris fortasse fixa, quia tanta est perseuerantia pulsus duri, ut nunquam  
eum relinquat. Sed est talis hec tica, quæ non transcendit primum genus, & est facilis  
curatu, ac in 6. uel 8. diebus potius uelim eam curare, quam tertianam. Hodie adhuc  
habuit frigus, & quia multæ sunt in liene obstructiones, timeo ne in quartanã transe-  
at, & eius rei à constitutione anni indicatio non est leuis, quia hoc anno multæ quar-  
tanæ. Non tamen mutabimus, quæ ei ordinauimus, quia quæ secundum rationem à  
principio sunt bene instituta, ab ijs non oportet recedere, secundum Aphorismi do-  
ctrinam.

## De eodem ægrotante,

## Consilium XXVI.

**M** Vitum refert uidere motus, & alterationes ægritudinis, quæ fiunt quo-  
tidie, & uariæ sunt, ut sæpe æger sagaci cura indigeat. Si animaduerti-  
tis in hoc puero, multæ motiones erant. Habuit obstructiones, urinas  
nigras, etiam subsidentiam nigram. Adhibitis medicamentis, primo  
febris remisit, ut biduo non sentiret febrem putridam. Postea iterum  
frigus percepit, cui successit calor, & motus iste quartanarius, quid fieri debeat suc-  
cessus ostendit. Expectabimus, si forte esset futura febris quartana. Urinæ magnum  
indiciu habent in febribus, ideo diligenter considerandæ. Quas uidimus præteri-  
tis diebus, diuersæ erant. Hodie (ut dixi) est subnigra, habet quoq; subnigrum sedi-  
mentum, & colliquationem etiam in superficie. Eius ratio est, quia heri paroxysmum  
habuit, humor melancholicus computruit, & sic urinam subnigram, & sedimentum  
tale fecit. Ego nihil agam, nisi quæ antea egi, aperiam obstructiones in uenis, & inci-  
dam, cum syrupo de Absinthio, oxymelle, quo adhuc utatur per duos aut tres dies.  
Die Iouis 14. Decembris accedit typus. Expectabimus ergo, donec aliquid exqui-  
site appareat, & interea bona diæta procedemus. Vnum tamen faciendum est, quia  
habet tensionem & duritiem in uentre, & tamen iam detumuit, quantum ad tympa-  
nit, quæri posset, ubi illa tensio quam tangimus: quia obstructiones in hepate non  
facile tanguntur, quomodo obseruandæ: Si consideretis formam tensionis, tunc scie-  
tis, ubi sit, quia in superficie uentris sunt primum musculi longitudinales, transuersi,  
obliqui sursum, & obliqui deorsum, ex illorum forma scitis tensionem. Hic tensio circa  
utraq; hypochondria in profundo, quia quanto magis comprimitis, tanto magis ap-  
paret. Erit igitur optimum aliquid uentri resoluens applicare, quod exterius resoluat  
materiam in musculis, & abdomine. Quid igitur applicandum? Si à materia indica-  
tionem sumimus, nihil dabimus quam resoluentia, ut Cuminum, Anisum, Fœnicu-  
lum, Calamentum, Pulegium, semina Dauci, Petroselini, Ameos, Cinamomum, quæ  
calida sunt in tertio gradu, & subtilis substantiæ. Si uero à flatu indicationem sumi-  
mus, dabimus calida & sicca in tertio gradu, quia ea remouent flatus. Si à natura  
membri, quomodo agendum? quia talia exterius applicantur in regione uentriculi,  
& hepatis, oportet eorum naturam & operationes considerare. Sunt autem hæc duo  
membra nobilia, quæ seruiunt toti corpori, & habent nobiles actiones. Venter  
concoquit, hepar distribuit, propterea egent calore innato, & robore, ne fiant laxa.  
Ideo quæ ijs adhibentur, debent habere aliquid astrictionis, & esse moderate calida.  
Quoniã ubi excedit caliditas, impeditur concoctio, & ubi frigus, adhuc multo magis:  
quia coctio fit à calore moderato cum humiditate mixto, ut Gal. 7. Meth. docet: Vbi  
sunt febres, caute ne detis multum cibi, quia calor febrium non facit concoctionem,  
nec calor innatus potest concoquere. A membris itaq; indicatione sumpta, potius



mediocriter calida & humida dabimus, ut refranemus calorem igneum, & addemus astringentia, ut addatur tonus membris, & confirmetur. Est hæc perpetua regula in resolutione, quod ista calida in tertio, si nihil illis misceatur, quod subtile est, resoluunt magis. Crassum uero remanet, & assatur magis. Miscenda igitur humida cum siccis, & ut habeatis formam, sic facite:

℞. Cumini

Fœniculi

Anisi

ana 3 2.

Ista sunt resoluentia calida in 3. gradu.

Nitri

3 1.

Rosarum rubearum

Mirtill.

Absinthij

ana 3 iij.

Pro corroboratione uentriculi, & ad refranandum calorem.

Myrob. Chebulorum

3 1.

Ista corroborant uentriculum stipticitate.

Myrrha

Bdellij

ana 3 2.

Hæc mollisunt.

Oesyphi humidæ

3 1.

Ne reliqua nimis exiccent, & crassum remaneat.

Puluerizanda puluerizentur, & dissoluenda dissoluantur, deinde cum modico ceræ fiat linimentum, uel unguentum molle. Sed si hæc faceremus, multum transiret temporis, quare accipiamus compositum, quod habet hoc totum, ut potestis legere in Antidotario.

℞. Cerati Oesyphi descriptione Philagrii 3 2. Illinatur in petia, & ponatur supra totum uentrem. Sed quia ista descriptio plus habet de mollituo, quam constrictiuo, potestis accipere Oesyphi Cerati 3 1. emplastr. Diaphani, 3 s. Ipse tamen Montanus puero exhibuit postea sequentia.

℞. Oesyphi cerati Philagrii

3 1.

Aloes

Succi Absinthij

ana 3 1.

Cum oleo Absinthij fiat unguentum.

De eodem ægrotante.

Consilium XVII.



Vmpta occasione ab hoc puero, hac uespera dicemus quædam utilia. Inuasit eum quartana, & nunc apparent pustulæ in toto corpore. Consideremus id symptoma, quod successit feбри quotidiana, & nunc quartana. Sed & illud uideamus, sit ne motus ille criticus: est autem criticus motus, quando natura factis concoctionibus pellit materiam ab una parte ad aliam, uel exterius per euacuationem, quando educitur, uel per præcipitationem, quando subito materia ex uno membro nobili ad ignobile præcipitatur. Symptomaticus motus, id est, accidentalis, est ubi natura non operatur, sed uiolenter de parte ad partem expellit, uel ob multitudinem materiæ, uel propter acuitatem, uel aliam malam qualitatem, atq; expellit quocunq; modo, ueluti homo molestatus onere non expectat terminum, sed projicit onus, siue in lutum siue in ignem non curat, sic natura quoq; nec tempore, nec loco, nec ordine seruato emittit ea, quæ ab illa non possunt regulari. Videamus iam an hic motus symptomaticus ex multitudine mate-

ria



riæ proueniat, an sit criticus, an uero medio modo se habeat: Est enim quidam motus medius, qui nec uiolentus est, nec per omnia secundum naturam agit, sed partim ad propositum, partim non, ut cum baiulus portans onus magnum, non projicit statim in lutum, sed sustinet, & expectat occasionem deponendi commodam, tamen ad debitum locum deportare nequit. Vter igitur sit motus ex his tribus? Non fuit uere criticus motus, quia talis fit in die critica, & post concoctionem. Natura enim quando regulariter agit, non agit per uias permutationis (ut illi loquuntur) non euacuat, nisi concoctionis etiam signa sint. Diem criticum in hoc puero ignoramus, quia aliquot mensibus iam laborat. Coctionis signa apparent nulla, subfidentia in urina proprium locum non habet; debet enim esse in fundo, hic autem ubiq; diuisa est, non habet etiam formam pyramidalem, nec colorem debitum, quia non alba, nec substantia iusta, cum deberet esse æqualis, leuis, sibi similis, hæc sibi dissimilis est, in alia parte tenuis, in alia uero crassa, deniq; non multum lucida. Non apparet coctio, ergo natura non operatur regulariter. Nec fuit motus symptomaticus simplex, qui fit quando natura, nec tempus, nec locum seruat excretionis, sed contra rationem quandoque ad caput præcipitat, ut ex pleuritide phrenesin efficiens, & deponit quocunq; modo potest aggrauata. Hic enim per locum conuenientem, id est, cutim expellit, quia cutis est ignobilis, & ad recipiendum excrementa facta: ergo iste motus nec pure symptomaticus est, nec criticus. Et si enim locus obseruatus sit, tamen minime conuenit. Sed dicit aliquis, quare non expellit natura potius per urinam, secessum, uel sudorem? Respondeo, in longis morbis, ubi materia crassa est plerunq; per uiam permutationis (ut illi loquuntur) fit crisis, & magis quando tempus frigidum, & uirtus debilis respectu humorum. In calido autem semper duo sunt, meatus ampli & lati, & materia magis subtilis, quod non fit in hyeme, ideo facilius expellitur ob facilitatem exeundi, & meatus amplos. Hic uirtus affecta est, & tempus frigidum, corpus gracile, crassi & adusti humores, quia uidentur pustulæ, quales sunt morbi Gallici, ita ut uideatur nunc eum morbum esse passus. Causa igitur efficiens est debilitas uirtutis, materia uero crassa partim pituitosa, partim melancholica & rebellis. Natura non audet ad intestina mittere, nam ea eroderet, nec per uomitum eijcere: est enim lethale, nec per sudorem excernere, quia materia nimis crassa est: ergo pustulæ factæ sunt, & ista est causa permutationis, quod notetis, nam utilia in his colloquijs dicemus. Visa igitur hac permutatione, quid agendum? Est hic scabies molesta, quam natura partim critique, partim symptomatice expellit, nec locum magis tutum habere potuit. Si igitur materia traheretur aliò, esset malum, nec oportet augere malum, nec reprimere etiam, quia interficeretur æger: sed natura agente quiescas, & nihil moueas, sed expectabis. Non igitur oportet hic scabiem curare, si tamen esset nobilis, aut principis filius, facerem ut singulis diebus mutarentur linteamina, ne haberet eam infectionem ex maculis, hac eum molestia liberarem, etiam haberem spongiam in decoctione Chamæmeli, & Aneti in aqua calida acta, & fouerem spongia, ubi est pruritus & leuem deterfionem facerem, ut aliquid exhalaret, & tamen non impediretur natura, & refrigerarem hepar, & aperirem obstructiones recta ratione præscripta. Accipiat adhuc tres syropos, donec quinq; sumperit, & postea rursus euacuabimus eum, quia à natura adiuuatur. Si darem pharmacum, non darem quod è longinquo traheret, quia facerem motum contrarium naturæ, & fortasse moreretur. Quid igitur euacuandum? Materiam antecedentem scabiem, concoquerem & educerem cum lenientibus uidelicet Cassia simplici, Hiera, electuario lenitiuo, Diacatholicone. Vbi tamen modicum Senæ, Epithymi, Rhabarbari, Polypodij esset, de quo Nicolaus dicit, quòd ante, & post cibum dari potest, & hoc ego sumerem, quia à primis uenis tantum educerem, & mitigarem aliquo modo pruritum.



## De eodem ægrotante.

## Consilium XXVIII.



Citis puerum nostrum habere duas febres, alteram cum rigore, alteram in habitu, quod cognosco, quia arteria calidior, quam reliquum corpus, etiam ex duritie & frequentia pulsus, quæ non est naturalis huic corpori. Quod ut uideatis, quærendum est ex signis collectis, ut docet Galenus, quæ fuerit naturalis dispositio huius corporis, antequam ægrotauit. Habebat capillos crassos, crispes & nigros, quod ostendit caliditatem cerebri uel hepatis, uel utriusq;. Dico autem distinctiue, contra Modernos, quia caliditatem certo significant adesse capilli crispi cum nigredine, sed Moderni credunt, eos infallibiliter indicare cerebrum calidum, & citant locum ex 2. artis parua Gal. Quicumq; habent calidum cerebrum, capillos habent nigros & crispes (quod uerum est, ut Galenus dicit) ergo qui habent capillos nigros & crispes, habent calidum cerebrum. Non est uera argumentatio, sed fallacia consequentis; non conuertitur. Qui calido sunt cerebro, habent euaporationes multas & fumosas, ideo nigros capillos ob adustionem, crispes autem, quia cum impetu expelluntur. Vt 2. de temp. dicitur, & uerum est, sed non tamen est necessarium, ut qui crispes capillos habeat, sit cerebri calidi. Non enim hoc solum facit capillos tales, sed etiam alia faciunt capillos nigros & crispes, existente cerebro frigido. Vt si quis hepar calidum & uenas amplas habeat, & abundet multis uaporibus adustis, qui ad caput tendunt, & inde ad cutim euaporant, quod si sibi meatus reperiant idoneos, fiunt etiam crispes. Non igitur sitis precipites in iudicando, de temperatura caloris alicuius membri ex talibus signis, sed alia quoq; considerate, & precipue operationes, quæ immediate à membris procedunt. Si uultis uidere temperaturam cerebri, uidete operationes intrinsecas cerebri proprias, si bene imaginatur, memoratur &c. & ex illis temperaturam talem dicetis. Si fortiter imaginatur & retinet, habet cerebrum siccum, si statim diffluet cogitatio, humidum, & tales sunt mali Mathematici. Discursus requirit moderatam humiditatem, memoria siccitatem, imaginatiua uero respondet memoriæ, bonus intellectus requirit moderatam frigiditatem cerebri, quæ contemperationem facit spiritus uitalis uenientis à corde. Qui calidi & sicci sunt cerebri, sunt mali uiri, ut testatur Galenus & Aristoteles. In discursu precipites, perpetuo agitantur, & in uindicta sæui. Qui cito irascuntur, & multum, hi habent caliditatem cordis, qui admodum raro, & miserantur, frigiditatem. Qui post iram statim redeunt ad se, habent cor calidum, cerebrum frigidum, quia etsi in corde spiritus agitentur, tamen non ad uentriculos cerebri deueniunt, frigiditate enim extinguatur calor, & motus spirituum, & temperatur. Si autem motus ille spiritus inuenit cerebrum calidum, magis agitantur, & feruescunt, & ad uindictam tales sunt proni, & sanguine nunquam satiantur. Puer noster multarum operationum, plurimum cogitat, & loquitur, habet uenas amplas. Quare arbitror naturalem eius temperaturam fuisse calidam & siccam. Quam ideo dixi necessario considerandam, ut sciatis & temperaturam præsentem, & quantitatem lapsus. Non est multum lapsus à temperatura; tales enim facile incidunt in febres, sed febris, quæ in habitu est, non facile cognoscitur à Medicis. Quid igitur agendum? Ista febricula in habitu non pendet à materia, sed tantum refrigeratione & humectatione indiget. Quantum ad eam febrem attinet, indicatione ab ea sumpta, egemus humectantibus & refrigerantibus. Sed quia non est simplex egritudo (quod diligentissime semper considerandum est) sed cõmixta cum alijs, uidendum an id reliqui morbi fieri patiantur. Hic habet annexam scabiem, à qua iuuamentum percipit. Fuit enim leuatus aliquantum à motu semicritico, qui adhuc durat. Si iam refrigeretis, & humectetis, quod requirit febris hectica, frigidum constipabit, & calorem debiliorem reddet, à quo motus ille fit, qui nullo pacto impediendus est. Quare non est obtundendus calor innatus, abstinendum ergo à frigidis.

Sed est



Sed estne utendum calidis, ut natura inuetur ad expulsionem in hoc motu? Non, sed est permittendum naturæ, donec cessent symptomata, ut & Auicenna præcipit, cum natura mouet, tum nihil mouebis, sed permitte naturæ. Quando illa cessabit, & symptomata cessabunt, ac sola erit febris, tum poteritis cum alijs procedere. Interim amaris aperiemus obstructions, & astringentibus, ut moram faciant, & addemus ijs quædam, quæ uiam faciunt, ut penetrent, ut syrupum de Absinthio, in quo uis aperiendi in primo, Oxymel quod refrigerat in primo, & addemus aquam Cuscutæ, quæ aperit, & non impedit motum naturæ. Omnes enim aquæ destillatæ etiam ex herbis calidis sunt frigidæ, id quod ostendi uobis antea.

De febris putrida continua, cum catarrho & leni quodam sputo sanguinis, ac suspitione hectica.

Consilium XXIX.



Obilissima hæc matrona cum esset prægnans, incidit in febrim ardentem. Multis consilijs liberata à febris, perdebilis, & decolorata permansit. Est enixa postea, & purgata menstruis, non tamen copiosis, sicut antea. Hoc anno mense Octobri incidit in febrim, quæ ipsam detinuit quindecim dies inordinate, nec adhibuit consilium Medicorum: sed breui per se est remota febris. His diebus aliò profecta, non bono utens aère in agro Clodiano, & Vicentino, pisces ac alia comedit, & ita rursus in febrim incidit. Hinc à Medico sanata, incisa uena, & concocta materia, post septem dies iterum febris eam inuasit, & sensit caliditatem in capite, qui dolor capitis remotus per catapotia est, catarrhus autem remansit; eiecit sanguinem, tussis maxima infestauit eam, habuit duritiam in liene. Exhibita illi Calsia &c. Ipsa nunc quoque febricitat, & tumorem in sinistro latere habet, & reliqua superiora symptomata. Est biliosa, & calidæ ac siccæ temperaturæ, quod apparet ex signis, fuit semper emaciata, & coloris subcitrini non adeo albi, pili capitis nigri, estque calidi iecoris & cordis. Habet pulsus magnos. Nunc rubedo in facie, & uenæ tumentes significant calorem capitis. Oblectatur cibis crassioribus. Cum solita sit expurgari per nares, hoc nunc cessauit. Habuit tristitiam ex morte filij. Agit 24. annum. Sumus in temperata constitutione aëris. Quod ad res præternaturales, Habemus febrim, quæ inuadit cum rigore, igitur est putrida, quia rigor signum putredinis. Putridæ num sit adiuncta hectica maxime dubitatur, sed cum dicat se non sentire caliditatem, licet maxime febricitet, & sumpto cibo intendatur morbus, item Galenus de inæquali intemperie dicat, febrim diurnam sequi Hecticam: igitur hic habemus febrim putridam & Hecticam, latus in regione iecoris non poterat tangi, uereor igitur adesse inflammationem. Habemus hic obstructionem lienis à materia melancholica, quod ex uictu & consuetudine euenit. In causa etiam febris fuit aliqua obstructio, hinc inflammatio. Simul etiam abundat bilis, quod ex flaua urina apparet, cui mixtum aliquid pituitæ, quæ generatur in capite, & propter imbecillitatem uentriculi. Sed nulla appetitus adest destructio, non uigilia, non graui symptomata. Causa doloris capitis est intemperies calida, sentit enim notabilem caliditatem in capite, hinc catarrhus, qui semper adest capite affecto, in ore sentit corrosionem, circa gingiuas, & hoc fit propter intemperiem calidam. Qualitas catarrhi est insipida, & simul expuit sanguinem, qui cum tussi educitur. Igitur à pectore prouenit, uel à pulmone, uel à uenis existentibus in pectore. Sanguis est in pauca quantitate, & floridus. Quare prouenit à uenis pulmonis per resudationem: nec enim ruptas uenas arbitror. Ultimo adest imbecillitas uentriculi, eaque ex frigiditate, quia sentit sputum acidum. Ratione febris putridæ euacuanda materia, quæ prius concoqui debet, deinde membra alteranda, postea



postea infrigidare & humectare totum corpus ratione hecticae, item frigefacere caput, calefacere uentriculum oportet. Hebris hectica non longe est progressa, metendum tamen propter tot obstructiones. Astringentibus utimur ad fluores, ad sputa, sed his in casu hoc non utendum, ratione obstructionis. Primo hic est humor biliosus cum admixtione melancholici & pituitosi, euacuanda itaque prius concocta materia. Igitur syrapi qui infrigident, qui habent partes tenuiores ad aperiendam obstructionem, qui etiam humectent ut syrupus de Farfara, item syrupus uolarum ratione pectoris, conducit. Dedimus etiam de oxymelle parum ratione fluxus. Non incidenda uena interna brachij ratione hecticae. Concocta iam materia euacuanda est Cassia, & Rhabarbaro. Et ad euacuandam melancholiam, accipite si uultis Electuarium de psyllio, sed parum. Euacuationes postea & syrapos reiterarem. Oportet febris putrida relicta, ut insistamus hecticae. Inunctiones & balnea infrigidant, & humectant, igitur inungenda circa pectus, ex oleo uiolaceo, oleo Amygdalarum dulcium cum cera, idque fiat tepide, confert enim ad tussim. Cibaria sint succus Ptisanæ, carnes pullorum & iuscula, hæc enim humectant & frigefaciunt. Vinum permixtum aqua humectat, igitur parum uini addendum aquæ. Balnea fiunt omnibus uisceribus bene affectis, quare hic ijs non utendum. Quoad catarrhum qui uenit ex materia calida, caput euacuandum & alterandum, prius euacuato corpore, de quo supra, prouocetur materia ad nares rebus non uehementibus. Utamur inunctionibus narium cum oleis frigidis, & humectantibus, & stimulantibus materiam ad nares. Deinde frigidis caput inungatur, utatur lambitiuis & saccharo Candi: Electuario de pulmone uulpis, & syrapis, de quibus supra. Trahunt enim materiam a pulmone, & hoc ratione sputi. Ventriculus fouendus calefacientibus, uidelicet oleo Mastichino. Calidum caput generat catarrhum frigidum, quia calor attrahit materiam ex inferioribus copiosam, quam non ualet concoquere, crudam ergo & frigidam emittit. Sumpto cibo sentit calorem in facie, & toto corpore, quod est signum hecticae febris. Incidenda uena saphæna, ut diuertatur eiectione ista sanguinis, ut simul etiam purgentur menstrua, quæ non eodem modo, quo antea purgari solebant, procedunt, sed nunc suppressa sunt. Si adesset metus de eius salute, hecticam febrem aliquousque progressam esse dicerem. Diarhodon solidum sumptum a coena ingrossaret catarrhum. Fricarem quoque crura & coxas, ut diuertantur flatus matricis ad inferiora, ne ita ascenderent. Item, curarem singulis diebus ut haberet sedes, uel naturales, uel per medicamenta. Vinum aliquo modo ei conuenit, propter tumores, ne ægra per aquam ducatur ad hydropem, propter febrem autem uino non utendum. Misceat itaque uinum aqua, cui modicum Fœniculi & Cinamomi sit mixtum, & uinum sit lucidum non crassum. Hæc dixit Doctor quidam alius.

#### Hæc uero Montanus in eodem casu;

Habemus hic nobilissimam matronam, quæ uexatur plurimis dispositionibus præter naturam, quæ omnes quidem uerendæ sunt. Repetam breuiter causas, & ex earum dispositione curam inueniamus. Vexatur primum febris, quæ uidetur continua; præterea descendit catarrhus ad pectus, & ad quædam membra alia, ad scapulas, ad oculos, in quibus dolorem sentit, præcipue tamen ad pectus fluit. Hic catarrhus præterquam quod habet guttulas sanguinis interdum, apparet etiam cum putredine non uulgari, quod est notandum; præterea habet obstructionem in membris naturalibus, præsertim in lienis regione, ut & tactu percipiatur, sicut ipsa dicit, nos autem eam nondum attigimus. Habet & obstructiones circa cotyledonas & uenas uteri, & menstruorum non quidem omnimodam suppressionem, aliquam tamen diminutionem patitur. Hæ dispositiones omnes magnæ sunt, ergo & causas habent magnas; non enim sunt affectus magni, nisi a causis magnis; & quia causæ deducunt nos ad rationem curandæ, illæ primum sunt inquirendæ; & quia causæ partim sunt extrinsecæ, partim intrinsecæ, utraque quærendæ; omnes enim concurrunt in hac nobilissima matrona



matrona. Intrinsicæ causæ dispositiua sunt, quæ corpus ad tales ægritudines aptum & dispositū faciunt. Neq; enim quodlibet patitur à quolibet, ut in primo & 2. dicit de generat. Aristot. sed in habentibus symbolum facilis fit transitus. Videndum igitur an corpus præparatum sit ad has dispositiones, an uero non; hoc autem sciemus ex temperatura naturali, & constructione totius corporis. Totum igitur corpus primo raræ texturæ, & rari habitus est, caro mollis, & quæ facile cedit tactui, & semper macilenta fuit & gracilis: fuit ergo corpus rarioris habitus. Præterea audio fuisse summi ingenij, quod arguit subtilitatem sanguinis & spirituum, ut Gal. in lib. Quod animi mores &c. ex Arist. confirmat. Ideo & Aristoteles, molles carne, aptos mente dixit. Quia igitur est talis habitus, qui facile resoluitur, & patitur à quibuscunq; causis extrinsecis, habuit causas intrinsicas dispositiuas ad hoc, ut facile incidere in varias dispositiones præter naturam. Præterea temperaturam, licet reuera non possumus dicere talem uel talem, propter diuersitatem membrorum, quæ facit ut totum corpus non possit dici simpliciter calidum & siccum, hepar tamen calidum & siccum habet, sed ea caliditas non ita insignis est, ut sanguinem gigneret crassiorem, consistente præsertim sanitate: quia promptitudo ingenij & morum non patitur illam crassitudinem sanguinis, quæ fit à caliditate ignea, ut fit in leonibus & canibus (reperiuntur enim omnia temperamenta animalium etiam inter homines) ea non conuenit istis moribus mitioribus, qui sequuntur temperiem, ut Physicus & medicus probat. Credo igitur esse quidem calidum & siccum hepar & cor calidum, sed non uehementer, unde generat sanguinem calidiorem quidem, sed subtilem, non crassum: ideo facile alteratur, sicut omnes substantiæ tenuiores paratæ sunt ad mutationes. Audio enim magnanimam & constantem, sed eadem ratione ut de hepate diximus: non excedit ualde, quia facile placatur. Hæc duo membra totum quidem corpus calidius reddunt, sed propterea non potest dici calidæ & siccæ temperaturæ, quia membra inæqualia. Cerebrum semper paratum fuit ad defluxiones: semper solita est pati defluxum ad partes intrinsicas. An modo id sit ratione frigiditatis in capite non concoquentis alimentum proprium, an uero ratione caliditatis attrahentis plurimam materiam, ignoro; non enim noui eam hæcenus, sed nunc primum uidi: sed quæcunq; causa sit, certum est eam abundasse excrementis in capite, & laborasse catarrho. Ventriculus naturaliter frigidus, multiplicat humores crudos, quia ferè omnes, qui sunt calidioris naturæ, & raræ texturæ, habent uentriculum frigidum: sunt enim graciles, & non habent omentum infarctum pinguedine solita, quæ secundum Aristotelem facit caliditatem positiuæ, secundum uero medicos priuatiuæ, quia non permittit diffuari caliditatem innatam uentriculi, & tutatur eam à frigore, & reliquis nocementis extrinsecis. Hæc nobilissima Domina priuata est utraq; utilitate, imò habet uentriculum imbecilliosem, unde plurima pituita & cruditates generantur, & excrementa in mulieribus ad uterum deueniunt, qui receptaculum est omnium excrementorū: qui cum sit membranofus, & per se frigidus, sanguis tenuior non potuit eum calefacere, ut concoqueret ea, sed aucta est frigiditas ab excrementis extinguentibus calorem naturalem. Habetis modo causas intrinsicas dispositiuas, totam uero corpus facile alterabile ab extrinsecis, quia rarus habitus, & sanguis subtilis, & inæqualitas membrorum, hepatis, uentriculi, & caput perpetuo destillans. Si modo uult, addam etiam ex parentibus, qui laborarunt catarrho, & phthifici mortui sunt. Videbitis hos morbos ortos esse à femine, & hæreditarios à natiuitate. Corpus igitur tale ita præparatum, incidit in causas extrinsecas sex, quæ alterant corpus, ut aër, cibus, potus, & reliquæ: omnes enim excefferunt. Aër diuersus & pessimus: fuit in festis Clodianis in aère crassissimo & pessimo, ubi etiam circa cibum & potum commisit errores. Velcebatur piscibus plaustribus, qui pessimi in quocunq;, præcipue tamen in tali corpore, quod facile alteratur. Vsa est pastilibus & leguminibus, & cibo sine electione, crasso, qui his corporibus maxime nocet, imò facile deducit in sæuas dispositiones. Ac cum ita peccasset in cibo, potu & aère, accesserunt etiam accidentia sæua,

dolores



dolores scilicet, quos habuit ex morbo filia. Hæc omnia maxime prosterunt hominem, & exterminant ab ea essentia in qua est maxime. Si quando spiritus etiam sunt tenuiores, qui facile resolvuntur, hæc accidentia facilius & plus lædunt, & quo plus ea dissimulavit, & exterius dolorem monstrare noluit, eo magis interius afflictus est. Hinc sunt secuta deterrimæ dispositiones, cumq; tot morbis conflictata fuit, quibus forte corpus etiam non ita debile superari poterat. Item multiplicati humores in corpore, ex mala ratione uictus, aère crassiore, impediende diffilationem corporis, & corpus refertum est humoribus ob causas intrinsecas & extrinsecas. Crudi sunt, ob uentriculum male concoquentem cibos crassos. Adulti uero sunt ob accidentia animi, quæ cibaria, quæ generant humorem melancholicum, corrumpunt; & retentio menstruorum, non omnimoda suppressio, sed diminuta excretio, facit multiplicari humores diuersorum generum in corpore. Ex his igitur habemus causas intrinsecas efficientes, & dispositiuas etiam, unâ cum extrinsecis occurrentibus. His præsuppositis contingit primum catarrhus molestissimus: neq; id mirum: quia generatæ sunt multæ superfluitates, pituitosæ primo, deinde biliosæ, hepar calidum, sanguis subtilis, corpus uaporabile. Galenus libro 3. de locis affectis inquit: Qui sanguinem subtilem & hepar calidum habent, repletionibus capitis subiecti sunt. Et hic ex uentriculo quoq; uapores crudi ascendunt: hinc catarrhus, qui non simplex est, sed fit ex materia plurimorum humorum, qui nec frigidi absolute sunt, nec calidi, quia mixti ex cruda & biliosa, & etiam adulta materia, & descendit à capite, quod etiam ex se subiectum est destillationi: & quia propter multitudinem descendit ad uarias partes, uarios etiam affectus mouet: sed maxima pars ad pectus & pulmones descendit, quæ excernitur per tussim. Est autem materia quæ eijcitur, quo ad substantiam crassa & uiscosa, partim non putrefacta & alba, partim uero flaua, non qualis esse solet ex adustionibus, sed qualis est cum materia existit putrida. Non autem habet saporem aliquem, quia pituita superat. Si uel biliosa superaret, uel æqualiter mixta esset, appareret amaritudo, uel faldedo (si credimus Auicennæ, qui ex mixtione bilis cum pituita, faldedinem oriri dicit, quod nunc non determino) Superat igitur pituita, quia nullus sapor: sed quia talis catarrhus putrescit in pulmonibus, & interdum admixtum habet aliquid sanguinis, dubitatur, & merito quidem, excernatur ne ille sanguis ex uena rupta uel erosa, an resudet per panniculos, uel ex capite defluat per nares, uel quoquo modo. Solet & aliud contingere: cum per tussim continuo uiolenter erumpit & reijcitur materia, orificia uenarum illarum capillarium facile aperiuntur, ex quibus prodit sanguis, non cum magno periculo, quia tenues sunt uenæ, facile aperiuntur & clauduntur, imò cessat statim post paucas guttulas. Ego hic crediderim ex capite, quia sanguis niger est & crassus, non admixtus sputo, sed separatus, ut sit suspicio quod ueniat à capite. Hæc tamen ramulos paruos & uiuacioris caloris sputo permixtos uidimus, & posset uenire ex illis uenis capillaribus abrasis ex uiolentia motus. Vel hoc erit uel illud, in alterum incidit suspicio. Venam ruptam, uel factam corrosionem non credo, nec resudari (quanquam hoc facilius fieri possit, propter panniculorum raritatem) nam illa fieri solent in maiori quantitate: non tamen contendo, cum nihil habeamus nisi coniecturas: potest esse ex tribus his unum, quod iam non determino, & hæcenus nihil refert, sed in futuro referre potest, quia sanguis per os reiectus, est malus, undecumq; ueniat. Hæc de catarrho, unde generetur, & ubi, & quod per essentiam in capite facile intelligitur, quia semper fuit subiectum destillationibus, sed fouetur etiam ab alijs membris inferioribus. Nunc ad obstructions quæ sunt in liene & matrice, & ut ego credo, in hepate. Hæc fiunt immediate ab humoribus multiplicatis in corpore, propter rationem uictus, crassis & biliosis, & ita miscella est, prædominante tamen pituita, quæ uenas obstruit, sed magis circa lienem, quia ille attrahit crassiores humores, & non est tam nobilis, ut sic possit resistere sua caliditate obstructionibus, sicut hepar. Sunt & obstructions circa uterum & cotyledonas: sanguis enim menstruus excernitur quidem, sed in pauca quantitate; non est perfecta obstructio, ex parte effluunt



menstrua, sed non ut solebant. Credo igitur obstructions etiam circa uterum, & in mesaraicis ad iecur, sed maiores circa lienem, & per uenas in toto corpore, humores crassos & mixtos sanguini, ut non possit euentari calor, quia urinae sunt crassiores, quae sunt colamentum sanguinis, & attestantur dispositionibus quae sunt in uenis: urinae crassescunt, rubrae, plenae omni genere humorum: ergo & uenae repletae, & excrementa eodem modo uaria sunt: citrina, ergo bilis redundat: & crassissima sunt, ergo pituita: & ita totum corpus repletum est materia diuersa. Non igitur mirum est adesse febrem illam uniuersalem, cum tot sint causae, quarum singulae solae possent facere febrem: est principio febris putrida, propter prohibitam euentationem: & cum sint in corpore iuuenili, natura fortis expulit materiam ad exteriora. Ideo frigus insigne sentit cum intentione, ut indigeat plurimis operimentis: & heri praecipue sensit. Quae eius rei causa sit, petetis ex Galeno de rigore, & 3. de causis symptomatum: nunc non est tempus illa repetere. Incipit igitur a frigore, & quidem extensiuo, quia mittitur foras a uirtute. Materia enim crassa est, non facile putrescens, & ideo calor non statim sequitur. Quod autem perdurat, ita ut unus paroxysmus inueniat alium, fit quia materia multa non potest ita resolui statim. Nec propterea continua est, quia cum rigore; nam proprium continuarum est non rigere. Et putrescit extra uenas, quod ex eodem patet, quia incipit cum rigore. Habetis naturam & locum febris huius putridae, an modo cum hac putrida sit etiam alia occulta in membris solidis fixa, ut hectica: Vt ingenue fatear, non possum certum aliquid asserere; bis enim uidi eam, inueni pulsum inaequalem, qualis est febris putrida. Sed si per coniecturas est agendum, corpus gracile est, & aptissimum, ut inflammantur membra solida: habuit febres praecedentes, putridas tam longo tempore: deinde hic morbus haereditarius ei uidetur a parentibus; calescit item magis post prandium, quod est signum quidem perpetuae hecticae: sed non soli conuenit, alioqui concluderet necessario. Nunc non possumus certificari, sed suspicionem facit, quia a cibo incalescit. Est & alia coniectura: non sentit calorem, quod signum est febrem iam esse in habitu: sed id etiam signum non est pathognomonicum solum, quia in alijs etiam morbis est commune, ut in febribus laticis, ut uocat Auicem. In quibus etiam non percipitur caliditas, & ideo hectici maxime similes sunt, & laticae uocantur: has ob causas non possum certo concludere, adesse hecticam, licet magna sit coniectura. Sed quicquid sit, agamus omnia sic, ut non laedatur hectica, si quae est reliqua dispositionum, puto nullam praeteritam. Diximus de omnibus, praeterquam de uentriculo, qui imbecillis naturaliter: sed ea imbecillitas aucta magis, quia in longis aegritudinibus semper redditur imbecillior, praesertim ubi pituita dominatur, ut Auerrois testatur. Nihil tam efficax ad debilitandum uentriculum, quam febres quae a pituita pendent, & habet aequales paroxysmos, non sibi inuicem de tertio in tertium correspondentes, sed magis accedit ad quotidianas, quod signum est magnam copiam pituitae putrescere, licet bilis etiam in maxima quantitate accedat.

**DE PROGNOTICO.** Ex quo patitur has aegritudines propter dispositiones in membris principalibus, non tantum ob multitudinem materiae, sed etiam dispositiones membrorum, difficilis erit curatio, maxime cum transire uideatur ad id, ad quod naturaliter est disposita iure haereditario; habet sputa putrefacta, cum suspicionem hecticae: & constitutio anni, quae morbos indicat, ut ex Hippocrate iam audiuis, indicat morbum longum; omnibus igitur modis aegritudo longa est futura.

**CVRATIO.** Habemus membra naturalia affecta, quae fuerunt causae dispositionis aegritudinis, sed in has non incidit, nisi propter causas alterantes, igitur res tota redigitur eo, quod humores in magna copia generati, in corpore sint causae dispositionum. Primum igitur corpus mundandum ab omnibus excrementis, non enim potest aliter agi. Iam corpus redundat omni genere excrementorum, & a natura etiam euacuatur per omnes uias, quia undique multa euacuantur: sed quia omnes euacuationes particulares praecedere debet uniuersalis, ideo ab ea incipiendum erit nobis, quae

e sit



sit uel per pharmacum, uel per missionem sanguinis. Missionem sanguinis, si remoueantur impedimenta, nihil magis necessarium. Si urinæ crassæ, phlebotometur, dicit Auicenna. Hic urinæ crassæ & rubræ, & humores plurimi permixti sunt, ideo credere oportet necessariam esse missionem sanguinis. Et reuera, etsi habemus suspicionem hecticæ, tamen hæc ægritudo certa est, cuius euacuatio non dimitti debet propter dispositionem incertam. Et quid esset incommodi, stante etiam hectica, si euacuamus sanguinem malum, & refrænaremus calorem facientem hecticam? Mitterem igitur sanguinem, sed non à saphena, quia non credo quòd propterea fluant menses per uterum. Omnes uenæ obstructæ sunt, & repletæ, ideo non flueret si aperiretur saphena, hancq; ob causam abstinere; oportet enim prius uias aperire, antequam fiat diuersio. Ego attenderem ad causam causarum, & mitterem à basilica, ut proxime ab hepate euacuarem, & si sanguis crassus, qui multa euacuatione opus esse ostenderet, neq; una uice possem tantum extrahere quantum uellem, & uirtutis ratione etiam liceret, iterarem uices, quia utilissimū est, & maxime laudatur à Galeno & Auicenna; ideo repeterem eam, & credo quanto citius, tanto melius. Dicebat quidam missam uenam ante duos menses, & obijciebat suspicionē hecticæ. Montanus uoluit replicari, quia etiam putrida habet rationem causæ, ea remouenda, & postea facilius hectica curabitur, quia non est eo gradu de quo sit curandū. Est in principio, non accessit adhuc ad ipsum gluten membrorū; lenirem igitur aluū, & mitterem sanguinē, postea per medicamenta euacuarem, & procederem sicut solet procedi in morbis pendentibus à materia crassa, uiscosa & frigida: & quia curatur in hyeme, non possumus cum fortioribus, quia humor crassus est, & sumus in hyeme, ideo paulatim concoquerē & euacuarem, & iterarē: darem syropos, postea florem cassiæ, & euacuaret bilem. Ab usu horū non discederem, sed frequentissime iterarē. Licet enim dicantur non transire uenas mesaraicas, nisi dentur in magna quantitate, id est, intensiue & extensiue, tamen per crebriorem iterationē etiam medicinæ benedictæ euacuant omnes humores contentos in toto corpore. His euacuationibus iteratis, euacuabimus materiā, roborabimus uentriculū, aperiemus obstructiones, & consulemus uentriculo, cui confert ulus hierg, teste Gal. prouocabimus urinam etiam, quod euacuabit humores contentos in uenis. Ideo singulis septimanis exhiberem hieram cum cassiā. Diebus intermedijs quibus non utetur cassiā, sumet syrupum ita confectum;

℞. Syrupi de farsara

De betonica ana ʒ 1.  
Decocti capil. Ven. Et cetrach ʒ 4.

Misce, confert ad obstructiones lienis, pectoris & hepatis: & ita hos syropos acciperem, quòd respiciant omnia membra affecta, & acciperem capillos Veneris & cetrach in magna quantitate ad decoctum. Circa caput proposita sunt electuaria quæ laudantur à modernis: sed dicam id quod sentio. Ego maxime abhorreo ab eis, ubi imbecillitas uentriculi suspecta. Vidi homines sæpe, dum in illis uolumus catarrhum curare, ex frequenti & nimio usu electuariarum incidere in hydropem; dum enim illa frequenter sumunt, die nocteq; impeditur coctio, ut nunquam recte fiat: augetur catarrhus, quia propter inconcoctiones multiplicatur materia, nec ipsorum electuariarum uis ad pulmonem, sed ad stomachum peruenit. Vellem igitur horum loco semper teneat aliquid sub lingua in ore, cuius uis dum attrahitur aër, etiam paulatim attrahitur, & descendit sensim per asperam arteriam: & licet parum descendat una uice, tamen si fiat continue per uiginti quatuor horas, facit magnum effectum. Ad hoc bonæ essent pilulæ Bechiæ, Zucharum rosatum & uiolaceum, & si quid hoc modo per œsophagum descenderet, tamen quia tardius id fieret, per poros tamen alia qua eius portio transiret ad arteriam. Quod ad curas particulares attinet, quæ post uniuersalem euacuationem ad roborandum caput & uentriculū, itemq; ad leniendū pectus faciendæ sunt, si uellem proponere nunc, uideretur ineptum. Quæ sunt proposita circa pectus leniendū, laudo, quia fit maior præparatio musculorū, qui mouentur

contia



continue. Ideo oleum amygdalarum dulcium, chamæmeli, uiolarum laudo, sed ita componantur, ne superent frigida, sed sint moderata omnia. Inungatur uenter oleo mastichino, lien oleo de capparibus, & similibus. De uino, dicerem necessarium esse ut demus in ægritudine longa, & uentriculo imbecillo: sit autem album, pauciferum, non flatuosum, etiam cum aqua factum. Montanum etiam laudo uinum cum aqua mistum: quia uina quæ in planis crescunt, sunt crassa, flatuosa, & maligniora. Notandum, oua in febribus continuis nunquam danda: imò, in tertiana: ea tamen die exhibet Gale, quæ sine paroxysmo est: ratio est, quia facile alterantur, & ideo facile putrescunt, adeo etiam, ut in sano corpore, si uenter sit paulo calidior, statim uertantur in bilem.

De febre putrida cum catarrho coniuncta, in senē,

Consilium XXX,



Vditi Clariss. Doctor, te ita exacte determinare hunc casum, ut profecto ingenuè fatear, non necessarium esse me accedere ad hanc ægritudinem, sed posteaquam accessi, ut loco meo satisfaciam, ne frustra uocatus esse uidear, aliqua sum dicturus in tuorum uerborum confirmationem. Prius igitur statui naturam morbi, & subiecti considerare. Subiectum in ultimo est senio constitutum, & senectus ipsa pessimus est morbus, & longe deterior, quam ullus alius etiam infestus morbus. Aetas hæc decrepita est, & quamuis corpus satis calidum, & robustum ad alios senes collatum, absolute tamen ualde imbecillum est, & ad dispositionem præter naturam inclinatum. Est enim passus leuem paralytin, leuem apoplexiam, & quamuis tamen leuem admodum, aut nullam penitus existimarim, tamen isti morbi, quantum prosternant uires capitis, & cordis, uideamus quotidie, etiam si iuuenis fuerit, nunquam redit ad eundem statum, sin uero senex, nunquam euadet: Admonemur igitur, quod hæc ægritudo tanto sit periculosior, quanto ultimæ senectuti est uicinior. In præsentiarum duo patitur, destillationem à capite ad diuersas partes, per fauces, & bronchos, ad pectus, quæ catarrhus dicitur, sic quoque ad alias partes, ad crus, infra genu ad talum usque, ubi patitur nunc œdema, & perseverat in ijs nunc quatuor menses. Adest & alia dispositio, uidelicet ipsa febris, & non est mensis, à quo coepit affligere, & interea nihil uidetur remisisse, una tamen die magis affligitur, quam altera. Quantum ad febrim, consideremus excrementa, quæ naturam febris indicant. Urinæ enim potissimum ostendunt putridam febrim, quando actu putrescit humor, cum sint crassiusculæ, & rubæ, talesque perseverent. Non est dubium, quin semper duos attestentur humores, sanguinem, & choleram rubeam, quæ tales sunt urinæ. Cum autem non uideamus abundare sanguinem, non est uerisimile, quod sanguis sit causa huius febris, neque etiam accidisse uidetur propter multam pituitam, qua abundat multis diebus. Restat igitur, quod sit ratio humoris biliosi, nam egestiones quoque biliosæ sunt. Sed cum non sit cum rigore, & motus febris lentus, neque dolor capitis, neque sitis: erit ei admixta pituita, & erit cholera, quæ dicitur maioris famæ. Et in corpore senum maxime generatur pituita in magna copia, sunt enim illi frigidi, & sicci naturaliter, & talibus naturale (ut & Galenus testatur) est generare humores crudos. Sunt enim contraria coctioni omnia. Est itaque febris, & cholera uitellina mixta cum plurima pituita crassa, quæ abundat in hoc corpore, ubi putrescit huiusmodi materia. Bilis generatur in hepate, sed quomodo? Ex regimine, & rebus dulcibus, quibus usus est sæpius, multæ obstructions factæ sunt in uenis Mesaraicis. Quando sanguis non potuit libere exire, & transire ulterius, necessarium fuit ut generaretur bilis, quæ excernitur postea per porum fellis, à uirtute expulsua, ad intestina, & urinas, ut apparet ex excrementis. Neque etiam potest euentari pituitosus humor, qui per totum corpus sparsus est, propter obstructions, ideo febris hæc



est ex his duobus humoribus, propter multitudinem materiae, subito excurrentis ad loca sensibilia, cum propter obstructions in hepate non possit libere euentari. Circa catarrhum aliter est hic dicendum. Senes cum habent sibi ingenitum catarrhum, qui illis praeter naturam est, perpetuo ea laborant aegritudine, iuxta Aphorismum: Bronchi & catarrhi in senibus difficulter resoluuntur. Non enim potest concoquere cerebrum vapores crassiores, a crassis humoribus ascendentes, qui abundant in corpore senum, ob imperfectionem concoctionum. Sed ad hoc, ut eleuentur vapores, requiritur caliditas quaedam. Cum uero fuerit in aetatibus praecedentibus calidae temperatura, & maxime in iuuentute, ut apparet facile ex habitu ipsius, soliti sunt huiusmodi vapores ascendere, nec desinit illa euaporatio ob frigiditatem hanc. Quare talem catarrhum non possumus tollere, sed concoquere aliquo modo licet, ne cito interficiat.

**PRAESAGIUM.** Cum haec duo ita se habeant in hoc corpore, consideratione acurata hic opus est. Catarrhus quidem nunquam auferetur, febris cum aliqua difficultate tolletur. Cum enim Medicus sit tanquam minister naturae, non ita facile curabimus, quia natura impotens est, ita igitur sumus in re ualde ambigua.

**CVRA.** Primo uidendum, cui debeamus occurrere, febrim an uero catarrho. Dico principaliter febrim curandam, non tamen neglecto catarrho. Est enim directe contra naturam senis, neque omnino pendet a catarrho, nisi quatenus facit obstructions, quibus apertis non propterea curabimus febrim. Febris igitur curetur, quae pendet ab humoribus putridis. Habet obstructions, aperiantur igitur, attenuanda materia, & educantur humores illi crassi. Indicatio uero semper a uirtute sumenda est, a qua tanquam a potentissimo rege operandi uenia petitur, ea enim ostendit, quid praecipue agere debeamus. Si talia, qualia oportet purgari, purgentur, conducit secundum Aphorismum. Etiam si Manna non euacuat, qualia purgari oportet, tamen omnino a benedictis incipere debemus, & materiam educere, quae est magis obediens euacuationi. Estque haec minoratio necessaria. Curabimus namque febrim, & non negligemus catarrhum. Euacuabimus enim feces, educendo humores tenues, ac aperit etiam, ac abstergit, ita ut crises faciat (quod mihi accidit) ita ut intra sex dies aeger euaserit. Et ante coenam exhibeatur, estque hoc minoratorium Romae omnino in usu. Detur uidelicet Electuarium lenitiuum, uel Mannae ʒ ʒ. s. Si altera die recte se habuerit, non uelim dare neque syrupum, neque brodium, nolo enim ut abluat medicinam. Tertia die demus syrupum incidentem, ut oxymel simplex, a quo nunquam uellem discedere, quod est inciliuum, non dulce, ut hoc faciunt tempore: deinde mel rosatum exhiberem. Sunt enim membra senum ualde sicca, eritque ei optimum. Postea fiat decoctio Cichorii in aqua capillorum Veneris, quia est magna penuria aquae Endiuiae uel Farfarae seu Tulsilagenis dictae, quae ad tulsim est opt. Sed quia est senex & frigidus, adhibetur aqua capillorum Veneris, uel cum praedictis aquis sem. Anisofurum, ut in tribus ℥. aquarum sint ʒ. 4. Anisi, & decoquantur ad casum tertiae partis. Medicina uero sit Rhabarbarum, & reliquae medicinae benedictae, syrupus rosatus. Linimenta pro pectore profunt, e quibus unum est optimum, anserinus nempe adeps, qui penetrat maxime (non anatis adeps: in quo deceptus nos textus antiquus, qui posuit anatem pro anserine) cum modico Croci, & Amygdalarum amararum, concoquit humores crassos ut facilius educantur. Masticatoria non darem, sed caput purgia per nares, qua ratione prouocaretur catarrhus. Si tamen uelletis exhibere masticatoria, sint ea radix capparis, uel Mastix, qui corroborat uentriculum. Liquiritia quoque efficacissima: sed scopus meus, ut nunquam ascendamus ad medicamenta altiora. In ratione uictus non est uinum dandum, licet enim sit album, & minime acidum, paucissimi coloris, & subtile, tamen iuscula ex hordeo cocta, & lacte Amygdalarum, & oua forbilia sunt meliora. Non enim respiciam hanc febrim, sit denique hoc ipsum regimen senum. Vterer crebris frictionibus. Pro ulcere uero cerussa, uel puluis ex carie lignorum uitium. Pro tumore in cruribus accipiatur aqua salsa, in qua decoquantur germina ebullorum, & fiant fomentationes, non tamen insideat.

De



## De hectica febre cum putrida &amp; catarrho coniuncta,

## Consilium XXXI.



Larissimi Doctores quoniam totum fundamentum praesagij & curandi pendet à natura morbi recte cogniti, nos, quia uocati sumus, ea de causa, ut praesagium demus, & ut curemus, ideo ego ut possim colligere naturam harum dispositionum praeternaturalium, exponam omnia, quae uidi, & audiui. Quatuor sunt consideranda, adest catarrhus, qui defluens à capite, facit difficultatem anhelitus insignem, quasi dyspnoeam, item est is catarrhus falsus, & ita, ut quasi sal habeat in pectore, & in ore, quantum ad substantiam, est diuersus, crassus, subtilis, aqueus, putridus &c. Habet febrem, qua iam ante sex menses incœpit laborare, nec habet debitos paroxysmos suos, sed ut incœpit, ita continuo stat. Et quia ita continua est, affert omnia mala, magnam uidelicet exiccationem corporis. Ideoq; ista puella carnosa, nunc accedit ad constitutionem hecticam, & membra solida dislabuntur; obseruanda igitur sunt febris accidentia, insignis macies, pulsus paruus, frequens, & non uehemens, est durus, & debilis, hæc habet pulsus. Urina rubra, crassa, & non tenuis, cum his signis est febris. Ter uidi, & tetigi uentrem, & hypochondria, habet in lateribus obstructions, & uentriculi abdomen deberet esse applicatum bene, sed est tensio in uentre, nec habet cavitatem, etiam si sit emaciata, sed tumet. Quarto habet defluxum alui, estq; nouum accidens. Tales autem sunt feces, egeruntur in hora, & quantitate præter naturam, & innatant in liquore, quasi naturalia dura, habentq; colorem non mellis, sed tendunt ad ferrugineum colorem, quod manifesta adustionis signum est, horæ (ut dixi) mutatae, & quantitas, etiam sunt sub forma fecis, & non sunt multi humores, non bilis, nec alius humor, sed signa sunt adustionis, quia apparent ferrugineæ. Hæc quatuor cum suis symptomatibus, quæ indicant congeriem suorum morborum, uidelicet febrem, catarrhum, obstructions, & fluxum, uidenda, & qualis curatio esse possit. Catarrhus potest dici symptoma, sicut & fluxus, & licet symptomata ad se trahant curam, tamen habent duas ægritudines, febrem in complexione, & obstructions in compositione, quas sequuntur. Videamus primo ægritudines, quibus cognitis, & symptomata cognoscimus, & ijs curatis curabuntur quoq; symptomata. Sed quia habet obstructions & febrem, quaeritur utrum prius obstructions, an uero febris aggredienda? Audio eam esse monacham, ieiunauit multum, cum secundum Hippoc. 2. de recta uictus ratione, ieiunium sit pessimum, solita hora non comedit, unde fuerunt cruditates multiplicatae, & fiunt maiores, si cibus crassus exhibeatur. Ieiunantes uero in duobus peccant, capiunt cibum ieiuno uentre, & capiunt malum cibum. Cum hæc ieiunaret, potuit sibi accersere obstructions & febrem, & potuit febris curari, sed obstructio mansit, & postea incidit in febrem mense Martio, nam manserant radices illius febris, id est, obstructions; obstructio autem erat offensio naturalium membrorum, & dolor lateris fortassis erat inflatio hepatis ex obstructionibus. Nam ubi obstructio in hepate fit, grauedo, dolor pectoris, & tusses fiunt. Quare morbi sui sunt ab obstructionibus naturalium membrorum. Febris permanens fecit colliquationem humidi naturalis, & consumpsit carnem, & est secunda species hecticæ, ubi enim absumitur humidum naturale, fit prima species, si caro, secunda species, si solida partes, & humidum in eis radicale, fit tertia. Sed quoniam non uideo in ea humidum naturale, & carnem, igitur febris est in carne, quam absumpsit. Et hoc à subiecto dico, & colligo à pulsu, nam pulsus etiam est hecticus, ut eum describit Galenus. Nondum est in gluten hæc febris, nam adhuc floret cutis, & adhuc est in membris solidis humiditas, sunt urinae crassæ cum sedimine: In hecticis sunt tenues & claræ. Hic uero etiam crassæ, quia in uenis est putredo, ex qua fiunt urinae crassiores, nam urina (ut constat) serum sanguinis est. Est & hic inæqualitas in



pulsu, isq; pulsus est putridarum, non autem hecticarum. Igitur est febris putrida, & humores putrescunt in uenis. Est ergo hæc febris hectica, cum putrida coniuncta, & ideo putrescunt humores in uenis. Et signum est ex urina, quod crassus humor putrescit, estq; pituitosus: sed quia cogitabunda, colligitur humores melancholicos quoq; collectos, item in urina signa pituitæ. Hi uero humores faciunt febres typhodes, uel laticas, quæ sunt affines hecticæ. Habet catarrhum & fluxum alui, scimus autem quoties calor in hepate est, consequitur ut in toto etiam ambitu uenarum sit, inde multi vapores caput petunt. Et 3. de locis affect. dicitur, quod qui hepar calidum habent, sunt subiecti repletioni capitis. Hæc puella, cum habeat hepar calidum, multæ materiæ uel uapores condensati, uersi sunt in catarrhum calidum. Atq; ita est catarrhus falsus (ut ipsa dicit) quasi haberet scutellam falsi in pectore. Apparet pituita in ea ex colore & uisciditate. Nam Auicenna dicit, ubi febris transit quatuordecim dies, uentri- culus fit debilis, & concoctiones malæ. Hæc passia febrim est multis mensibus, ita ut pinguedo absumpta sit ex abdomine, & musculis, unde cruditates & obstructions. Est uero catarrhus, cum descendit tenuis, sed in pulmone calefactus, fit uiscidus, & putrescit, quia est in loco calido, ac decipit Medicos, qui arbitrantur esse pus. Habemus rationes omnes catarrhi, quare sit falsus, & habeat partes subtiles, crassas, & putrefactas. Difficultas anhelitus inde est, quia colligitur in bronchijs pulmonis, & impedit spiritus, fluxio uero alui succedit propter tria, longitudinem morbi, quia sunt debilitata membra naturalia, & non fit concoctio bona, secundo catarrhus descendit in uentriculum, ut percipit, & est falsus, qui excitat materias fæcum, antequam tempus sit, ut exeant: item est obstructio, & chylus non distribuitur, quare fæces non sunt bene coctæ, sed exeunt cum liquore, quia non bene distribuitur materia per uenas, sed irritatur à catarrho. Et hic fluxus non fit ratione colliquationis, ut dicit Gal. 10. Therapeut. quod in colliquatiuis accidit: nam colliquatio in hecticis ita fit, quia sensim fit colliquatio, sed in febribus pestifentialibus fit fluxus colliquatiuis propter nimiam putredinem, & quia fit torrefactio.

**PROGNOSTICVM.** Dico quod hæc ægritudo sit periculosa, quia febris consumpsit humidum nutrimentale, & carnes. Ac febris perseuerat, ergo & partes solidas absumet, & erit tabida perfecte. Vix tolles hanc febrim, nam opus esset tollere obstructions, idq; calidis faciendum esset, antequam autem id facies, tabescet. Præterea catarrhus auget febrim, putrescit, & putrefacit pulmonem, nam puella est tenera, & non facile spirat. Vnde ægritudo est difficilis, & uereor, ne sit incurabilis. Medici autem ne desperent, & prædicent hæc suis amicis, ut inueniant curam, & ne illis imputetur postea, si quid aduersi acciderit.

**C V R A.** Hippocrates dicit, exquisitis morbis remedia exquisita debent proportionari, Galen. autem 5. Meth. inquit: Qui in catarrho incipit à leuioribus, facit longum. Ego uolo experiri fortias, deuenirem ad obstructions, & non negligerem febrim. Obstructions enim sunt origo malorum. Accipiat igitur Trochiscos aperientes, qui licet calidi & sicci sunt, corrigantur, ut de Absinthio, ut de Rhabarbaro 3. 1. uel 3. 1. Confortant, & obstructions ac fluxum tollent. Sed quia exiccant, accipiat iusculum in quo Tussilago & Endiuia decoquantur, & accipiat amplam scutellam. Vnum dicam, ponerem in illo iure 3. 2. oxymellis cum saccharo facti. Nam incidit, & aperit obstructions.

R. 3. 1. s. Oxymellis facti cum saccharo bono, & aceto. Et uentriculum confortare, Galenus 7. Therap. docet exiccatum uentriculum humectare, non igitur uteretur exiccantibus, sed addentibus tonum uentriculo. Accipe uinum dulce, permixtum aquæ 16. 1. uel 2. Olei Amygdalarum dulcium 3. 4. Buryri recentis, uel medullæ cru- ris uituli: Misce & impone dactylos. Bulliant ad consumptionem uini, exime dacty- lorum cortices, & eorum carnem tantum relinque & contunde, & pone aliquid pul- ueris Mastiches, & Caryophyllorum parum, & inungatur locus totius uentris. Pectus inunge ex adipe anseris, oleo Amygdalarum dulcium, & parum Croci, puluis in ca-  
pite



pite sit ex rosis, Myrtis, & astringentibus (in primo, & secundo de composit. medicament.) etiam Sandali refrigerabunt & exiccabunt. Porro ut sit diuersio, fiat frictio membrorum omnium oleo Amygdalarum dulcium, Electuaria accipiat ante prandium & post. Saccharum rosatum optimum in catarrho, & febre, singulis horis accipere potest: uictus sit bonus. Vinum sit pauciferum, nec acidum, quia auget tussim, Electuaria seorsim lambenda, ne relaxent nimis uentriculum.

### De febre continua cum uarijs symptomatibus & periculo pestilentiae.

#### Consilium XXXII.

**P**rimum uidendum, an febris consequatur dolorem, qui est in pectore, & sit accidens, an uero morbus per se. Videtur habere difficultatem anhelitus, dolorem in latere perseverantem, febrem continuam, etsi de tertio in tertium inualescat. Hæc possent ostendere, quod sit pleuritis, quæ consequatur febris. Ego tamen sentio nullo pacto esse pleuritidem, sed dolorem esse accidens, & dependere ab alia causa. Ratio, quia pleuritis est in membrana succingente costas, & ea in sene est crassa, uidelicet iam sexagenario. Humor etiam est crassus, pleuritis autem ab humore bilioso, & tenui. Si ergo esset pleuritis, nullo modo quiesceret. Deinde qui laborant pleuritidi, non possunt anhelare, etiam si cogantur, atque etiam semper tussire uolunt, ob dolorem tamen non possunt. In hoc Reuerendo patre nihil horum, ergo non est pleuritis. Bene uerum est, possunt uariæ collectiones humorum fieri intra corpus, sicut etiam extra, qui tantum inane pondus uidentur, ut œdemata ex pituita & flatibus. Ita & intrinsecus pituita colligitur in musculis inferioribus, & exterioribus. Et cum locus sit sensibilis, & materia flatulenta, facit dolorem grauatiuum, qui proprie est in musculis. Hic igitur locus & materia conueniunt, potest ergo esse apostema in musculis, sed non in membrana. Vel materia est extendens locum, & facit dolorem, quia in loco angustiiori. Et ideo à calidis & temperatis iuuatur, ut Chamæmelo. Nam sanatio ostendit, quis sit morbus, ut Hippocrates dicit. Si calida materia morbi fuisset, post applicationem calidorum, magis affluisissent humores, sed quia flatuosa, discussa est. Est igitur collectio humoris flatuosi in musculis interioribus circa hypochondria. Febris igitur non pendet à dolore: quare separanda ea, & per se consideranda. Sed primo uideamus de Catarrho. Catarrhus proprium habet locum in quo generatur, uidelicet caput, ab hoc semper defluit, per uias communes, Oesophagum, & asperam arteriam, uel per uenas, uel per arterias, uel neruos, seu nucham. Hic habet tres uias, per asperam arteriam descendit quia tussit, per Oesophagum, quia reijcit, & habet flatu ad hypochondria: per uenas, quia in urina magna est copia pituitæ, quæ non potest in tanta quantitate continuo generari in uentriculo. Causæ sunt manifestæ. Et ipse est in ultimo climactere, agit enim 63. annum. Ideo magis timeo de anno quàm morbo. Et merito Augustus sacrificauit, quod euaserat hunc annum. Febris est continua, sed de tertio ad tertium exacerbatur, hæc à modernis febris continua proportionata à bile dicitur. Vtrum materia in uenis putrescat, uel aliquid erumpat extra uenas, & inde tertio die fiat exacerbatio, nescio. Hæc ante paroxysmum uehementius laborabat, quàm post accessionem, unde ego continuam credo. Materia cholericæ est cum multa pituita. Adest enim bilis, ut ex sputo citrino apparet. Urina est crassa, & est maxima putredo intra uenas, nisi à renibus sit hæc crassities. Forte aliqua portio materiæ est extra uenas, quæ exacerbatur de tertio in tertium. Habemus sudorem, est ne criticum signum: Non potest inquam, apparere criticum signum bonum, nisi præcedant antea signa coctionis. Sudor

e 4 ergo



ergo hic non est bonus, quia urinae magis perturbatae sunt, quam unquam alias. Ergo non est motus natura, quae est regulata, in omnibus suis actionibus procedit ordinate, & prius preparat humores, postea educit. Est igitur hic motus symptomaticus, & malus: quia malum signum peius est, cum fit in die critico. Sed si fieret propter fermentationes, tunc esset minus malum, quam si symptomatice. Status autem, uel augmentum morbi sumitur penes coctionem, & non per accidentia, quae quandoque in ipso statu sunt maxima, quia tunc natura maxime pugnat & oppugnatur.

DE PROGNOSTICO. Est senex, & in secundo senio, & Hipp. ait: Febres non intermittentes quocumque die tertio acerbiores fiunt, periculosa. Deinde inde est tanta perturbatio urinae, ut sit suspicio de maxima putredine. Ideo recte datum pharmacum Hiera cum Cassia & Manna. Manna educit subtiles humores tantum. Addita autem Hiera, ne illa Cassia flatus excitaret. Nec debemus ulterius progredi, quia nulla est coctio in uenis. Ideo cras exhiberem syrupum, uel oxymel, in quo pluribus numeris (ut testatur Galenus) refrigerat magis acetum, quam mel calefaciat. Darem igitur sic:

℞. Oxymellis simp.  
Syrupi de Betonica ana ʒ 1.  
Decocti Liquiritiae  
Capill. Veneris  
Cetrach ʒ 3.

Sed Cetrach si uult, omitti potest. Lambitium cauerem, quia eius usus plus nocet, quam prodest, impedit coctiones, & facit cruditates. Galenus dicit, ubi est metus apostematis, dolor capitis, & cruditas magna, abstinendum a uino. Tertio de uictus ratione, ergo abstinendum puto. Sed quia senex, & periculum ne cadat uirtus, darem panatellam cum ouis. Sed semper respicerem ad febrem pestilentialem, de qua hic est periculum. Eius signum certissimum fluxus colliquatiuus, ut Galenus ait. Quanquam quia cum urinae steterunt fiunt clariores, est indicium, quod sit perturbatio naturae tentantis coctionem in materia, idque esset bonum signum.

Mors aderat, Cymbaque Charon, remosque parabat,  
Afferuit medicina senem, iam aetate trementem;  
Restituitque nouas effecto in corpore uires.

De febre Hectica ex pestilenti facta, & cum putrida coniuncta.

Consilium XXXIII.

**V**uenis sedecim annorum, liberatus a febre pestilente, septem diebus post nunquam uisus est liber a febre, quod ferè semper fieri solet, cum cordis humores putredine affecti fuerint, & remota putredine calor ille non naturalis maneat impressus in corde, & eius substantia, aut in ipsius contentis. Veritus ergo D. Montanus hecticam, iussit nutriri cibis humidioribus, & aliquid uini assumere, sed tenuis substantiae, limpidum, & minime potens, aquae etiam nonnihil admiscere. Contigit autem, cum secederet ad exonerandam aluum, sensit nonnihil frigoris, quod ubi in lectum redijt, cessauit. Subsecutus est calor mordax & acutus per totum corpus, quem tamen aeger dicebat se non sentire, cum manifeste ad tactum appareret, cum pulsus inaequalitate & frequentia. Urina quam reddiderat, substantiae omnino tenuis, colore subpallido, liquore tenui, reliquae uero, quae iam subsederant, erant paulo crassiores. Sedimentum uero erat crassissimum, quale erat quoque, cum febrem pestilentem pateretur. Egestionis alui inconcoctae, foetore plurimo, cineritiae, minime compactae; Tempore pestis habuerat contum



num fluxum colliquatium, nonnihil conquerebatur de dolore capitis. Totum corpus ex præcedenti febre imbecille, tenfa quoq; erant hypochondria. Ex his coniecte-  
 ebat, simul cum Hæctica febrim aliquam putridam. Quare statim obstructioni occur-  
 rens, iussit summo mane serum lactis uaccini, in quo tota nocte imposuissit ma-  
 nipulus Absinthij, & expressum haurire tepidum. De quantitate uictus rogatus D.  
 Montanus non præscripsit aliam: sed tantum offerri iussit, ne sentiret uentriculum ag-  
 grauatum. Secundo die sine febre, sine siti, & uigilijs repertus est. Excreuit biliola  
 multa crassaq;, & nonnihil compacta. Urina flaua, ubi paulo longius quieta maneret,  
 statim crassior facta est. Urinam quoq; habuit plurimam, per eam enim uiam natura  
 se exonerauerat, cum satis laudibili hypostasi. Conquerebatur de scabiè, quam ante  
 inuasionem febris pestilentis perpeffus erat. Sed quia eiusmodi euacuationes materiæ  
 crassæ Montanus saluberrimas esse iudicaret, nihil mutare uoluit, iussit tamen, ut se-  
 ro lactis uteretur, in quo per totam noctem infusæ sint partes Absinthij, & Fumi ter-  
 ræ æquales, & colaturam mane biberet tepidam.

De febre pestilenti in Hæcticam mutata,

Consilium XXXIII.



**V**ocatus Montanus ad ægrum, inuenit eum prima uisitatione, tota super-  
 ficie corporis extrinseca calentem admodum, cum pulsu tamen quieto,  
 & satis regulari. Urinæ turbidæ, ad subiugales tendere uidebantur, sed  
 excrementa alui præcesserant: ita ut nihil tum exhiberet. Tenuem tan-  
 tum uictum ordinabat, & permisit, ut uinum biberet tenue, & album,  
 propter cruditatem humorum, ut fieret aliqua coctio, cum præsertim nullus adest ca-  
 pitis dolor. Altero die cum urina adhuc esset turbida, Cassiæ dedit ʒ. 12. ante pran-  
 dium, quæ cum satis operata esset, & tamen urinæ ad subiugales adhuc tendere uide-  
 rentur, sequenti die sanguinem missurus erat, quod statim à prima uisitatione febrim  
 pestilentialem metueret, sed pulsum tamen satis fortem & æqualem, ipsumq; sine fe-  
 bri reperit. Quapropter tunc intermisit sanguinis missionem, quam tamen sequenti  
 die fieri uoluit, quod tum febris iterum adesset, nec urinæ à prioribus differrent, &  
 quodammodo deliraret. Sanguinis autem missionem tandiu se distulisse aiebat, pro-  
 pter humorum cruditatem, sicut similem ob causam Hippocrates in pleuritide, octa-  
 uo demum die sanguinem misit, in exemplo Anaxionis. Primo igitur clysterem com-  
 munem imponi iussit, & postea sanguinem mitti ad ʒ. 4. uti si necessarium esset, post  
 prandium repeteretur. Sanguis missus est ad ʒ. 6. Quam ob causam post prandium  
 iteratum non est, sed ordinatus à Montano talis syrûpus, qui refrigerando & exiccân-  
 do prohiberet putredinem, quam metuebat, & peculiari ui occurreret putredini spir-  
 rituum.

ʒ. Syrûp. de succo Acetosæ

De acetositate Citri ana ʒ. 1.

Aquæ acetosæ ʒ. 3.

Aquæ rosatæ ʒ. 2.

Misce pro uno, & sic pro alijs. Hunc ea statim uespera exhiberi uoluit, quod uri-  
 nas easdem quasi subiugales uideret, & sanguinem quoq; corruptum, & deinde sin-  
 gulis diebus bis fumere iussit mane, & ante coenam per 2. uel 3. horas. Voluit etiam  
 fieri hoc linimentum.

ʒ. Vnguenti rosati Mesues recentis ʒ. 1.

Specierum cordialium temperatarum ʒ. 2.

Rosarum rubearum ʒ. 5.

Camphoræ ʒ. 2.

Muscæ ʒ. 8.

Misce,



Misce, fiat linimentum pro corde confortando & muniendo. Os etiam crebro lauet ex aqua Acetosæ. Postea Montanus Venetias uocatus, discessit, estq; accersitus Frisimelica, qui cum urinas uideret turbidas, & fæces aliquanto liquidiores, cum pulsu non admodum forti, plane ei metuebat, & iam pestilentem febrem, ac de ægro actum esse credebatur, ac nimis tardam fuisse sanguinis missionem dicebat, non animaduertens naturæ illum motum; & ordinauit tunc saccharum rosatum cum puluere Scordij, peracta septimana laxata est aluus, & natura materiam crassam expulit per secessum. Quod nona die Montanus adueniens cum uidisset, nihil mouendum duxit, donec natura, quod operabatur, compleuisset. Rationes tamen eorum, quæ ordinauerat, alteri Doctori indicauit, & in syrups, ut persisteret, hortatus est. Vt si natura officio suo satisfaceret, nihil impediretur, sin minus ab ipsis postea facilius adiuuari posset, ne ex materia relicta recidua fieret. Erant enim in ea expulsionem fæces satis regulatæ, colorem & consistentiam mellis præ se ferentes. Vrinæ etiam crebriores subsistentiam habebant crassiorem, & album colorem, non ita, ut antea rubrum, nec liquorem adeo turbidum. Non tamen satisfaciebatur ea crisis Montano, quod æger minime leuari uideretur. Post aliquot dies remisit febris, relicta tamen aliqua caliditate in membris, quæ aliquando magis, aliquando minus infestabat. Alius Doctor hecticam esse dicebat, & balnea ordinabat. Sed ea reprehendit Montanus, quod non haberent locum idoneum, & occlusum, ita ut à balneo ab aere frigido non occuparetur, quod plus ei nocere dicebat, quam balnea iuuare. Nec hecticam adesse, licet id bene uerum esset, quod in tali dispositione facile in eam incidere posset. Voluit itaq; ut loco balnei, quo humectaret membra solida, inungeret musculos dorsi, non tangendo spinam, ne illa nimis refrigeretur, oleo uiolato, uel lacte muliebri, uel etiam infrigidante Galeni, quod sic fieret:

**℞. Olei rosati completi ʒ 4.**  
**Ceræ albæ ʒ 1.**  
 Misce, & infunde in uas plenum aqua frigidissima, & ablue, idq; iterato septies.

**De febre continua pestilenti.**

**Consilium XXXV.**

**P**incipium ægritudinis anno ætatis 19, tale fuit. In accessione febris cepit color declinare, ad albedinem, lassitudo insignis erat per totum corpus, pulsatio magna circa caput. Medicus, qui eius curam suscepit, dedit cibaria maximi nutrimenti, oua, & uinū, & brodia in magna quantitate. Vidi ego primo imbecillitatem, & deliquia circa cor, febrem insignem, & maculas nigras sparsas per corpus. Dispositiones igitur quas patitur præter naturam hæ sunt: Febris quæ uidetur continua, grauitas capitis perpetua, conuerteritur etiam de uirtute motiua, cum surgit ex lecto, non potest pedes sustinere, cogitur sedere subito. Videmus maculas per superficiem corporis, excrementa foetidissima colore cineritio. Et urina talis, quales ferè sunt omnes putridarum, paleares cum sedimento albo pituitoso. Sitis maxima, in ore neq; rubedo nec siccitas, sed pallor. In superficie autem signa siccitatis apparent cum aliqua nigredine. Circa noctem proxime præteritam ex nare dextra effluxit sanguis ualde niger, & crassus, ac satis aqueus, ut in linteis apparet. Omnes hæ dispositiones uidentur habere causas ualidissimas. Intrinsecæ autem principaliter considerandæ, quod extrinsecæ in subiecto prædisposito facilius & efficacius agant. Temperaturam naturalem crediderim hunc iuuenem habere in prædominio caliditatis & siccitatis, secundum principalia membra, nec tantum esse calorem auctum, sed deuenisse ad talem excessum, ut sit adustio in corpore. Pili admodum nigri sunt, generat igitur etiam humores adustos. Membra reli



reliqua non ita disposita sunt, ut ausim aliquid de ijs affirmare, cum eum ante hoc tempus nunquam uiderim. Sed tota habitudo est calida, & longe excedit cum siccitate. Temperatura tali existente sequetur, ut plurima sit uentriculi imbecillitas. Primo enim omentum adiuuat calorem uentriculi, ut 6. de usu part. dicit Galen. Sed hoc gracile est admodum in talibus, etiam musculi graciles sunt, hepar enim calidum multum attrahit, etiam cibum ante tempus non satis concoctum. Tertio fundus uentriculi non ita se habet, ut quidem debebat, nec satis bene conficit cibum. Quare statuo uentriculum frigidum. Hæc causa fuit, quæ reddidit corpus plenum humoribus malis. Et accesserunt deinde causæ extrinsecæ, deliquit circa sex res non naturales, in cibo & potu. Statim post cibum usus est immoderatissima Venere, quæ omnes uirtutes debilitat. Accessit præterea hic aer ualde nubilus & humidus: ubi aer nebulosus, ibi spiritus nebulosi fiunt, ex quibus omnes concoctiones deteriores. Spiritus enim spirituum contrahunt, unde plurimæ fiunt obstructions &c. ut Gal. 1. Epid. 3. Talis constitutio in uere dedit maximam occasionem corpori appposito & parato, ut facile putrefactiones generaret. Non igitur mirum est, si plurimi humores adusti, & plurima pituita ac bilis in uarijs corporis partibus sint generata, ex quibus caput debile redditum incidit in maximam imbecillitatem. Passus est diu pulsationem: pulsatio autem, ut 2. de locis affect. dicit Galenus: dolor est non nisi in arterijs inflammatis. Sed non est propterea credendum, caput & arterias esse inflammatas. Nam pulsatio hæc non est proprie talis, sicut eo loco intellexit Galen. neque talis dolor, sed est motus pulsationis, quem nescit exprimere. Inflammatio non est causa, quia dicit se iam non sentire dolorem. Sed ante pulsationem materia potuit esse in uenis & membranis, nunc uero tantummodo in substantia cerebri, & leuiter communicatur panniculis, non ut sentiant solutionem continui. Materia potest esse pituitosa, quæ agitata, seu flutuata in hoc sensibili tangit membranas leuiter, seu in cerebro, ut non continuum soluat. Nec mirum fuit, si post pulsationem secuta est imbecillitas uirtutis motiua, orta enim attestantur suis principijs. Vbi igitur cerebrum affectum, ibi necessario nervi quoque patiuntur, & adiuuat ad hoc coitus, etiam si ab hoc factum esse omnino non credam. Post dolorem capitis & imbecillitatem ob nutritionem importunam (nutrire enim corpora impura est maxime ledere) incidit in febrem. Usus est syrupis prouocantibus urinam, ubi autem humores crudi sunt in uenis, augentur talibus syrupis obstructions, ac putrescunt humores, & male dantur diuretica corpori impuro. Facta igitur febris, & cum medici uterentur aperientibus & prouocantibus urinam, natura magna uis expulit per pustulas in toto corpore dispersas. Febris etiam nunc perseverat, cuius motus est, quod nonnunquam apparet leue frigus uix perceptibile, deinde alternis diebus uisus est incallescere, non percipit exacerbationem, neque dum dormit, neque dum uigilat. Ex his iudicamus causas intrinsecas. Ista febris sine dubio pendet à putredine, quod præsupponitur ex euidentissimis signis. Locus ubi materia putrescit, & facit nos esse sollicitos, est in uenis, & habet motum continuum. Bene uerum est, quod aliquando portiuncula materiæ expellatur à natura, unde aliquando frigus prouenit. Materia autem quæ in uenis putrescit, cuius rationis est. Credo hic esse maximam putredinem. Signa, putridæ egestionis, ex malitia uaporum habet aphtas in gutture, sitis maxima ex fuliginibus petentibus os. Ex maculis quoque plurima putredo apparet. Omnis enim febris, quam pestilentem uocamus, prouenit à putredine, quæ fit ab excessu humiditatis, nec in his pestilentialibus ab occulta qualitate corrumpuntur omnes actiones, nec potui uidere, quod putrescat sanguis in forma sanguinis in febribus pestilentibus, nisi in quibus tota massa sanguinis putrescat, unde multa & graua accidentia. Hic uero dico febrem ex plurima humiditate putrefacta, pituitosa, putrefacta inquam potius, quam calore aucto. Ideo accidentia segriora, & ægritudo longa, egestionis foetidæ. Materia autem putrescens in uenis, unde calor naturalis ualde afficitur, & uno die etiam omnes uirtutes decidunt, urinæ foetentes, quæ aliquando in febribus pestilentibus sunt, secundum naturam causa est, ut Auic.

in prima



in prima quarti dicit: In febre pestilenti est multitudo obstructionum, & praecipue ubi materia tendit ad cutim, & caput, multitudo materiae & cruditas in causa est. Hesternus dies num fuerit Criticus non possumus iudicare. Sed siue critica, siue symptomata fuerit expulsio, tolerauit bene, & satis etiam materiae effluxit, quod notandum est, cum in aestate & iuuenis sit. Cur autem non magis debilis factus, sanguine ex capite fluxo? quia sanguinem pituitosum putrescere diximus, qui habet plurimam aquositate & adustionem. Has ob causas putarem diem illum esse criticum.

**PROGNOSTICVM.** Si hic motus fuerit criticus, arbitror hunc iuuenem, si bene se habuerit in alijs rebus, euasurum hanc aegritudinem, nisi hac nocte aliquid sit futurum; uidetur nonnulla coctio in urinis, habet uirtutem uitalem satis constantem. Et si morbus sit longior, & cruditas in uenis multa, quae non potest rectificari, habet motum tardum, & signa optima.

**CURA.** Cum maxima sit putredo, cura est prohibere putredinem; obstructiones igitur sunt aperiendae, remouebimus autem procuratione euentationis, cum humorum euacuatione. Sed natura mouet, tu nihil moueas, ergo non erit euacuandum. Deinde uerisimile est quoque, quod iam sumus prope statum; circa quem melius est quiescere, & euacuare postea, si natura non suppleuerit, alioquin faceret reciduum. Remedia intrinsecus sumenda in huiusmodi febribus pestilentibus sunt syrupus de acetositate Citri cum saccharo, est enim in eo aciditas simplex, nec habet uim adstringendi, ut uoluit Curtius, est subtilissimae substantiae, incidit fortiter ac penetrat. Vnde suppono, quod credo syrupum de acetositate Citri, & de acetosa esse praeposandos in his febribus pestilentibus syrupis reliquis omnibus: refrigerant, abstergunt, incidunt, & exiccant superfluum humiditatem, corroborant maxime. Decoctum fiat ex aqua Melissae, & Betonicae, in quo semen Citri decoquatur. Neque enim in Melissa est caliditas cum destillata sit. Hic erit syrupus hoc toto tempore. Praeterea frictionibus uteretur facto linimento ex oleo Chamamelino, & uino ad consumptionem medietatis coctis, uel simplici uino aromatico, in quo decocta sit Maforana & similia, ut etiam extrinsecus aperiatur pori. Ratio uictus erit, ut abstineat omnino hoc tempore a uino. Sumus enim circa statum, & crissim, in quibus dieta tenuis seruanda. Pro potu igitur fiat aqua hordei cum modico Cinamomi & seminum Citri, & misceat cum syrupo de acetositate citri, utatur pitifana, & tenuissima diata.

### De febre pestilenti.

### Consilium XXXVI.



**C**larissime Doctor, certe ego doleo, quod nos nacti simus casum tam difficilem, & praeter difficultatem casus, tempus etiam ipsius morbi tale. Nam praeterquam, quod morbus est malignus & pessimus, sumus in tempore morbi detestabili, scilicet in statu non salubri. Et quanto magis ad statum accedit, tanto est deterior: quod est contrarium in morbis salubribus. Hic uero status omnia detestabilia morbi affert, quae sunt indicationes mortis, non salutis. Si enim consideremus uirtutem, nusquam sunt illa, quae dant indicationem salutis in maximo morbo, imò in paruo morbo darent indicationes pessimas. Pulsus in isto est paruus, rarus & debilis, non resistit tactui, non eleuatur, non habet eam uelocitatem, quam debet habere, & ideo tardus est, & frequens, indicans imbecillitatem uirtutis uitalis: postea habet uirtutes animales prostratas, uidetur attoritus, & quasi surdus. Naturales quod sint affectae, uidetur ex exeuntibus. Urinae sunt pallefcentes, crassae, non habent colorem naturalem. Videmus faeces pessimas, & fluxum colliquatium cum sanguine, suntque excrementa citrina: qui color significat summam adustionem, propter igneum calorem adauctum, Et cum hoc non habet exte-

rius



plus caliditatem, quæ indicet, sed interior febris habet gradum intentæ malignitatis, & consequenter patet, quod non sit uictoriæ uestigium ex parte uirtutis. Sumus in pessimo morbo, si numeremus dies, ægritudo facta est chronica, transiit uicesimum diem, & motus iste qui debet esse, fieri non poterit, quia uirtus non tolerat, febris maligna est, quæ habet intensam putredinem. Sunt enim gradus putredinis in febris, & accedit ad eam malignitas putredinis, ut faciat uenenum in humanis corporibus, ut 6. de loc. affect. & clarius primo Epidem. indicatur, ubi loquitur de febribus pestilentialibus. Malignitas igitur est propter intensationem putredinum, quæ ex colliuatione & aduisione sæcum, & perturbatione urinæ significatur: sanguis qui exiit per anum, ideo potuit exire, quia humor adustus mordax fecerit abrasionem, & ita sanguis effluxit, ut in diarrhæis, uel quia hepar ualde imbecillum sit redditum, ut in fluxu hepatico. Habet enim circa hypochondrium dextrum insignem tensionem. De hæmorrhoidibus nihil dicam, quia sanguis ille est cum sæcibus commixtus. Debeo enim credere Excell. Doctori, qui hoc uidit. Quare alia accidentia considerabo, habet linguam impeditam, & implicatur in sermone. Ita omnia mala signa uideo in isto iuene. Nihilominus cum tanta malignitate febris, in statu morbi, facta protestatione & commiseratione non desistam, quin aliquid dicam, quod possit fieri tentando salutem, quia in flore ætatis est constitutus, licet Hippocrates morituros dicat prognosticis relinquendos. Nolo insistere huic, quia Christiani sumus. Quid igitur erit agendum? Duo nobis offeruntur, ratio uictus & medicamenta. Quod ad rationem uictus attinet, ubi est maxima putredo, & malignitas febris, non debet Medicus instituire tenuem uictum, nam, ut in 17. Aphorismo ait Hipp. ubi corrupti humores, & putridi, nihil perniciosius quam instituire tenuem uictum, quia intereunt. Acriores igitur humores contemperandi humidis actu, & potentia siccis: & cum hæc quærenda sunt, tum omnes eius cibi sunt alterandi cum Citro. Iusculis contemperemus humores & ex illis decoctis habemus potentiam exiccandi. Ergo exiccanda materia putredinis, humectandus uero calor naturalis. Ideo uidetur esse optimum, ut exhibeatur ius pulli, & fiat panatella, ita alteretur, & admisceatur aqua rosacea, quia uideo casum hoc maxime poscere. Confortabit cor & spiritus, propter odorem insignem, deinde exiccatur, & confortat membra, item astringit, præterea humectat propter humiditatem actualem. Ponerem igitur semper in cibo, præter Acetosam, succum Citri, Limonũ, aquam rosaceam. Sed uellem ut ad ulteriorem uitam nutriendi accederemus. Non placet conuulsus seu destillatus, sed succus expressus carniũ, habeamus partes pulli, albas alas & eas contundamus, facta contusione ponerem medicum iuris, & facerem expressionem, & rursus exprimerem, donec aliquid exprimi possit, ex quo haberemus omnem uirtutem carnis, & ne laboraret in concoctione, eijceremus omnes fibras. Postea acciperem limones, aquam rosaceam, & ius conficerem ex istis tribus. De potu, quoniam est aliquid bibendum, ex quo uidemus admodum affectum, quia indigemus apertione obstructionum, prouocatione urinæ & sudoris, atq; ex quo uirtus debilis, placeret uinum acidum, & tenue, & album, & semper coquerem in aqua, quæ admisceatur cum uino, Coriandrum & Acetosam. Laudarem saccharum rosatum, quantum ad medicamenta, proponitur syrupus ex acetositate citri, & succo Acetosæ, syrupus de Cichorio leuiter aperit, licet alij magis, & ut cor respiciatur, propinetur talis syrupus cum pari portione aquæ rosacæ, & Acetosæ. Et uidi ego quandoq; plurimas ex aqua rosacea utilitates. Exhiberem itaq; uncias duas aquæ rosacæ, & uncias duas Acetosæ, in eius syrupis. Pro corroboratione cordis facerem unguentum ex unguento rosato Mesues, cum speciebus temperatis, & cum puluere rosarum rubearum, & grano Musci. Quantum ad hepar, quoniam uidetur esse affectum, & renes etiam, uellem ut acciperet unguentum rosatum Mesues odoratum, in quo ponerentur tres species Sandalorum, puluerem rosarum, sicut in supradicto.



R. Vnguenti rosati Mesues ꝑ 2. Sandalorum rub. alb. &c. & tantundem rosarū.  
Et ita inungerem lumbos, renes, & hepar, ut fieret refrigeratio hepatis, & concave  
uena. Circa caput, si aliquid molendum, facerem oxyrhodonon cum oleo rosato, com  
pleto in subduplo. Et si apparerent hæmorrhoides, essent prouocandæ.

De febre pestilentī.

Consilium XXXVII.

**D**ebilitas aderat omnium uirium, & maxime uirtutis uitalis, obstructio  
uenarum Mesaraicarū, & pulsus debilis. Montanus dicebat maximam  
esse debere intentionem ad uirtutem prostratam, & ne succumberet ui  
dendum. Exhibita erat Calsia simplex, syrupus etiam datus ex infusio  
ne Rhabarb. cum aqua rosacea. Fortiora noluit admittere, sed iussit dare  
clystere lenitiuum ex oleo uiolaceo, & saccharo. Sanguinis misionem, quæ iam facta  
erat, absq̃ commodo, improbat. Victum dicebat esse debere contusum pullum.  
Deinde infra scripta decoctione utendum. Accipiat capro crudus & excoriatus, &  
in frustra dissectur, & postea accipiantur poma citria, & citronia, quæ similiter in partes  
dissecta, ita disponantur, ut semper una pars carniū, alia Citri, tertia rursus carniū,  
quarta Citonei pomi ponatur, & ita feriatim, ut totus circulus absoluator. Decoquan  
tur omnia in aqua rosacea, sumaturq̃ decoctum, & destilletur in duplici uase, hoc est,  
in balneo Marię. Ac deinde parte pinguiori abiecta, tenuior exhibeatur, ut supra scri  
ptum est. Mirum enim remedium est contra pestem, quia & cibus & medicina. Citrū  
ualde in hoc utile, & est aureum remedium in febribus pestilentialibus. Accipiat & sy  
rupos:

ꝑ. Syrup. de Cichorio cum  
Rhabarbaro ꝑ 1. s.  
Aquæ Boraginis  
Acetofæ ꝑ 3.

In quibus Citrum sit impositum, & decoctum. Inungatur pectus tali unguento:

ꝑ. Vnguenti rosati confortatiui Mesues ꝑ 1.  
Specierum cordialium ꝑ 1.  
Sandalorum alborum ꝑ 1.  
Rosarum siccarum ꝑ 3. s.

Misce, fiat linimentum. Non improbo ut bibat uinum dilutum, cum illa aqua, cui  
impositum fuit Citrum.

De febre pestilentī, cum pustulis in dorso.

Consilium XXXVIII.

**M**orbus est febris continua, cum pustulis apparentibus in dorso, quæ in  
dicant magnam putredinem, & quod incipiat sanguis putrescere, quod  
signum est pestilentis febris. Ergo (ut iubet Auic.) exiccarem, quod fiet  
his, quæ faciunt diffilare. Hippocrates dicit imitandam esse naturam, &  
cum natura tentet euacuare putredinem per cutim, ea erit nobis imi  
tanda & adiuuanda. Facerem itaq̃ cutim rariorem, ut facilius fiat euacuatio, & sic  
prohiberetur putredo. Linimentum ab Oribasio propositum, & recitatum ab Aëtio  
est: olei una pars, aquæ duæ partes, cum tertia uini, decoquantur ad consumptionem  
aquæ. Et hoc æqualiter trahit, cum eo ungerem totum corpus, & simul fricarem  
cum manibus illitis oleo, ita tamen, ne suffocetur calor naturalis. Non accederem  
ad decoctum Petroselinī, quia plurimum facit euaporare, & inducit nigilias in  
febre



febre pestilente. Sed ea quæ exiccant, sine plurima astrictione in febre pestilenti iuuant. Quare Scordium puluerizatum, & bolum Armenum exhiberem, & adderem cornu cerui, uel adustum, uel non, & corallium contritum adijcerem, etiam auri folia, & in brodio pulli iuuenis hos pulueres exhiberem, & accipiatur ante prandium > 1. eorū singulis diebus utatur. Ptisanam darem, & carnem pulli iuuenis, cum eius brodio, & syrupum acetosum, & ex succo Limonum, & Aurantium pomum cum saccharo, quod in hoc casu optimum. Darem aquam Limonum cum saccharo. Vterer etiam unguento rosato Mefues, cum speciebus cordialibus.

## De febre pestilenti, facta ex Tertianâ nothâ,

## Consilium XXXIX.

**D**octor Iosephus Prior collegij S. Antonij Patauij, scholaris 28. annorum, habitu robusto & musculofo, subnigro, amplissimis uenis, statura mediocri. Vesperis dum cœnaret 22. hora, sensit per uniuersum corpus horripilationem. Hora prima noctis cessante horripilatione, inuasit dolor acutus & mordax per totum corpus, perseverans ad diei Martis horam decimâ, quo die, hora decima sexta rursus eum horripilatio inuasit, & postea calor perseverans ad diei horam octauam, eo die mane circa duodecimam horam iniecto in anum Clystere, sensit horripilationem eam, sed leuem. Calor subito creuit in immensum, sequenti die Montanus aduenit, & inuento feruentissimo calore, rogauit quidnam hæcenus egisset? Exhibita fuerat à quodam, imprudenti sane, eo die quo secundus paroxysmus inuaserat Cassia, postquam tum parum excreuit. Id imprudenter factum esse dixit Montanus; quia ea dies esset afflictionis, quo natura morbo & materia intenta esse debebat, & non remorari medicamento, ne eius potentia remorata non posset morbo satis resistere. Erat post exhibitum lenitiuum aperta uena die Veneris, & extractæ 3 5. sanguinis. Id tempore satis idoneo factum erat, sed quantitas nimis exigua extracta ratione ætatis, habitus corporis, & magnitudinis morbi. Quare cum urinas rubicundas, crassas & obscuras consideraret, iussit illico ratione diei minoris afflictionis habita, ut educerentur sanguinis alię uncia quinq; quod etiã sine aliqua noua incisione est factum, multa sanguinis copia cum feruore erumpente subito, ubi uena compressa erat. Mane altero die sumere iussit hunc syrupum:

℞. Syrupi acetosi

De succo acetosæ

De acetositate citri ana ʒ s.

Decoctionis infra scriptæ ʒ 4. uel 6.

℞. Sem. Citri

Acetosæ ʒ 2.

Florum Boraginis M. 1.

Decoquantur omnia in duabus libris aquæ acetosæ, ad consumptionem tertie partis, facta diligenti expressione, seruetur colatura pro quatuor syrupis. Victus ratio fuit, ut decoqueret aquam cum hordeo ad crepaturam granorum. Deinde reiecta aqua, aliam sumeret in qua hordeum coqueret, donec in pultis formam fuerit redactum. De huius hordei colatura, si colari uellet, sumeret scutellam unam loco prandij, aliam in coena: potus sit aqua hordei. Sexta ab ægritudine die accessimus ad hunc & reperimus eum lætum & gloriantem, quia nihil amplius mali sentiret, neq; quicquam febris perciperet. Nihilominus omnino prostrata erat uirtus, cum difficultate loquebatur, pulsus debilis, frequens: intrinsicus uero ualde ardebat, quod ostendit ipsa urina, quæ rubicunda erat & turbata, quod signum manifestissimum est, febrem confirmatam esse in corde. Fuit etiam *errata*, id est, fluxus ille colliquationis, coloris



ouorum conquassatorum similis, hi neq; febres neq; dolores sentiunt. Quoniam ubi cor infectum, propemodum amentes sunt. Succurrit igitur hoc unguento ad cordis confortationem:

## ℞. Sem. Citri

Acetosæ	ana	3	1.	8.
Rosarum rubearum				
Sandalorum citrinorum	ana	3	1.	
Camphoræ				1.
Musci, Ambræ	ana	G.	5.	
Olei rosati optimi maturi boni odoris		3	2.	

Cum modico ceræ albæ fiat linimentum pro corde, renibus, hepate, utrisq; temporibus & sub naribus.

Item ℞. Sem. acetosæ, Citri, Rosarum rub. Sandalorum citrin. ana 3. 1. Boli Armeni orient. 3. 1. s. Margarit. 3. 1. Folia auri puri Numero 4. Puluerizanda puluerizentur, & omnia misceantur, diuidantur in partes pro singulis 3. s. in die. Permanfit in eodem statu, nisi quod non habebat sedes: quare clyster cōmune iniectum: unde materia satis uiscosa & biliosa eiecta est. Die 8. apparuerunt maculæ per totum corpus, purpureæ, quæ symptomaticè expulsæ fuerant, quia uirtus adhuc ualida esset. Quare adiumentum illi adhibitum est ad absterisionem ex salis nitri 3. 2. Olei cōmunis 3. 2. Aquæ fontis 3. 4. Bulliant omnia usq; ad consumptionē aquæ. Item ad cubiculi suffitum. ℞. Aceti optimi, aquæ rosaceæ partes æquales, Sandalorum parum, bulliant omnia simul in cubiculo. Vel salicum & populi folia cum aqua rosacea spargantur per totum cubiculum, neq; ibi permittantur exsicari, sed statim ubi uirorem amiserint abijciantur & remoueantur. Delatus quoq; est de uno cubiculo ad aliud ob aërem pestilentē, quem infecerat expiratione.

## De febre pestilenti cum inflammatione musculorum pectoris.

## Consilium XL.



**V**T à nobis fiat potius aliquid, quàm dicatur, necesse est. Præponam autem necessarium, antequam de remedijs dicam, consideremus essentiam morbi. Videmus primo eum febricitare continue, & habet febris magna symptomata, sed ex multis accidentibus unum uerendum, quod est signum, & causa, nimirū fluxus colliquatius, qui Gal. 3. Epid. recte solet esse signū inseparabile pestilentis febris, quia ubi est fluxus colliquans, ibi necessario est febris pestilens, licet eadem etiā possit esse sine fluxu colliquatio, sed tamē ubi fluxus ille, ibi febris pestilens. Estq; hic quoq; inclinatio ad delirium, & cataphoram, quæ est inclinatio ad somnum, talis, ut non dormiat; sed maneat tanquam attonitus. Adest catarrhus uiscidus, & uariorum calorū, interdum liuidus, interdum rubet, quod fortasse potest esse ratione Electuarij. Est tamen aliquid ibi, quod non possum referre ad Electuarium. Aliud accidens est, quod consequitur, urina turbida, crassa, rubra. In pulsu inæqualitas cum imbecillitate maxima, frequens magis est, quàm magnus uel uelox, & quod magis me terret, hoc mane altior uidebatur, nunc minor & depressior ac frequentior. Nec potest esse signum deterius, quàm frequentia pulsus, quæ indicat imbecillitatem. Febris hæc est pessima, quia sæua sunt accidentia, sed pessimum, quia ætatis in flore inuenimus, quæ est temperaturæ calidæ & humidæ cum dominio bilis, in ætate tali; & temperatura, in hyeme, ubi non fit tanta resolutio, quæ non etiā facta ex medicamento exhibitione, in sexto die adeo imbecillus redditus est. Verenda hic prostrata uirtus in tam paucis diebus. Videndum enim, quod istorum symptomatum habeat aliquam separatam causam præter febrem. Puto esse inflammationem

flame



inflammationem in musculis pectoris, uel ex intemperie, uel solutione continui; ubi enim dolor, ibi ægritudo. Sed in pectore est dolor, atq; tussis, & ratione doloris inflammatione adest, & læsio in partibus pectoris. Vtrum sit inflammatio ex eo genere, ut possit esse pleuritis: Non, quia non adsunt signa ueræ pleuritidis. Difficultas anhelitus non est talis, qualis in uera pleuritide, neq; dolor est pungitiuus, neq; acris, neq; acutus, neq; enim posset requiescere in utroq; latere, si esset pleuritis. Nam penderet inflammatio, si decumberet in latere sano. Est ergo nocumentum istud collectio, seu inflammatio materiei, in aliquo musculo thoracis, & circa illas partes non est pleuritis uera. Videndum hic nobis, utrum febris dependeat ab inflammatione, quemadmodum accidit in pleuritide, ubi febris curatur ratione inflammationis, ut docet Hipp. Et secundo de ratione uictus in acutis, ubi non curat febrem, sed inflammationem, cum ijs quæ apponuntur exterius, lenit tussim, & expuitionē prouocat, inflammatione curata cessat febris. Nunquid hic etiam faciendum, ut curemus febrem curata inflammatione? Loquor de essentia febris. Collecti sunt in hoc corpore humores multi pituitosi, crudi, cholericis, sanguinei, quia uixit sibi ipsi, omnibus usus est edulsijs, exeruit corpus tempore indebito, aggregauit excrementa plurima mucosa, unde præterita ætate laborauit ægritudine diuturna, & hac uix dum sublata, in deteriore incidit, propter uictus intemperantiã: plurimæ materiæ & crudæ generatæ sunt, unde factæ obstructions in uenis, ex immoderato exercitio cruditates raptæ in primas uenas, mox in totum quoq; ambitū, & ad omnes uenas transfusa materia. Humores uero crudi, transfusi ad internas uenas faciunt febres malignas, quod contingit ex exercitio post cibū, & quod erat longe deterius, post illud exercitium aquæ frigidæ maximam bibit copiam, quod auxit obstructions. Contigit etiam hoc ex aëris frigiditate, cui se exposuit post exercitium, unde meatus intrinseci sunt repente obstructi, frigus penetravit, fecit obstructions meatuum interiorum. Vnde necessario consecutæ maximæ obstructions tam exterius, quàm interius. Deprauatos humores obstructio secuta est, & ex prohibitione euentationis & transpirationis secutæ putredines. Obstructionem uero & putredinem maximam sequitur febris pestilens. Vnde multam putredinē, ut Galeni uerbis utar, *σπέρματα σπύρα*, id est, semina putredinis sequuntur, quæ omnia inficiunt extrinseca. Idem faciunt humores putridi intrinseci, uapores exhalant ad cor, & ponunt cor in putrefacto esse, tum quia uapores putridi infestant cor, tum quia humores cordis putrescunt. Hinc concidit uirtus, quia in uentriculo cordis putredo, quæ ubi est, sequitur & spiritus prostratio: item uirtutis uitalis, & naturalis, atq; etiam animalis. Nam & hic delirat, non constat sibi respondendo, interrogatus quomodo ualeat, dicit se melius ualere, cum tamen longe deterius ualeat, nec percipit malum, & talibus mens ægrotat, teste Hipp. Virtutes naturales sunt corruptæ, ut apparet ex excrementis & urinis. Omnes igitur tres operationes sunt corruptæ. Vidimus qualis sit morbus in pectore, obiecit se frigori, uapores ascenderunt ad caput, facta illic crassities illorū, & descensus. Quemadmodū enim accidit in magno mundo, ita quoq; in hoc paruo, descenderunt catarrhi ad pectus, fecerunt difficultatē anhelitus, & dolorē etiã in musculis, tussim quoq; nunc uero inflammationē ueram puto in partibus pectoris. Duæ igitur sunt ægritudines, quarum una non pendet ab altera. Prima est febris pestilens, quæ causas habet separatas. Secunda inflammatio, uel intemperies in musculis potius, quàm in membrana succingente costas, propter multitudinē catarrhi. Vtraq; propter repletionem plurimam in hoc corpore. Et ad utramq; attendendum, febris tamen maxime urget, & quia deterior morbus est, eum in primis curabimus, non neglecta tamen altera ægritudine. Putredo igitur omni ratione curanda & prohibenda, attendendū enim ei, quod maxime urget. Sed quomodo remouetur putredo? Essent quidē multa, si uirtus constaret, & misio sanguinis optima esset, & euacuatio humorū putrefactorū. Iste esset modus euacuandi putredinē, quæ tamen non faciemus, quia uirtus debilis. Oportet igitur tãtis per omnia illa euacuatione, apertionē obstructionū facere exterius & interius, quia causata est putredo propter obstructionē & prohibitam



transpirationem. Crederem itaq; prodesse, quæ exterius & interius putredinem præhibent, interius, quæ incidant & aperiant propter febrem. Sed adest dolor pectoris, & tussis quoq; quæ si augetur molestius afficitur, & augetur febris aucta tussi. Vnde cauenda sunt uehementer acida. Conueniens quidem esset febrî putridæ syrupus acidus, syrupus de succo acetosæ, & de acetositate citri. Sed primo de ratione uictus. Hipp. in febribus, quæ mixtæ sunt cum inflammatione, & pleuritide, cauendum esse iubet ab omnibus acidis, & astringentibus, ne exasperentur partes pectoris. Solum oxymel concedit, reliqua omnia prohibet. Exhiberem itaq; oxymel, uel syrupum acetosum simplicem, qui tamen cauendus est, ne pectus exasperetur, adderem igitur syrupum rosatum ex infusione, qui roborat calorem naturalem, aperit & exiccatur: quia cura pestilentis febris est exiccatio. Laudarem & aquam acetosæ, quia non est acetositas in ea, & habet tamen proprietates, & uires illius simplicis. Contemperetur ille syrupus cum iure pulli, in quo decocta sit acetosa, & semen citri, in quo est amaritudo, quæ aperit maxime, non est aciditas, nec acrio. Et si hæc non sufficerent ad apertionem, adderem radices petroselinæ, quæ aperiunt, non tamen est acrimonia in eis, sed penetratio propter subtilitatem substantiæ: sed quia habet aliquem odorem uirosam, à quo forte abhorreret, decoquantur radices Fœniculi in suis ferculis, ut fiat apertio. Quotidie etiam mane & uesperî frictiones totius corporis cum unguento Aëtij fiant, quo utimur in febre pestilenti: Ipse utebatur oleo (pro Sabino, quo ueteres usi sunt) tenuium partium, proq; eo accipi potest oleum Amygdal. dulcium. Verbi gratia ʒ 2. Aquæ fontis ʒ s. Nitri ʒ 2. Decoquantur ad consumptionem aquæ, inungatur totum corpus, pori aperiuntur, materiæ transpirant, & prohibetur putredo, loco etiam illius, moderni usi sunt cucurbitulis per totum corpus, quæ æqualiter attrahunt, sed resoluuntur spiritus. Oleum longe tutius est, quia magis æqualiter, & non uiolenter attrahit. Circa pectus utatur linimento ordinato, ab E. V. Sed quia cor principaliter patitur, pro illo ordinarem unguentum rosatum Mesuæ, cum rolis siccis, & speciebus cordialibus temperatis. Quantum ad uictus rationem, placet mihi quoq; panatella, quæ magis nutrit quàm ptisana, qua opus est propter imbecillitatem uirium, & Hipp. quoq; dicit, transactis primis diebus augendum esse cibum in pleuritide, & in pectoris ægri tudinibus. Qui locus multos torst, uult enim Hipp. ut fiat expulsio illius materiæ, quæ continetur in pectore, quod fit uirtute ualida. Quemadmodum etiam non nisi uiribus robustis prouocamus sputum. Nam si prouocauerimus materiam, & adesset imbecillitas, tum æger suffocaretur. Vnde in hoc casu etiam oxymel prohibet Hipp. Num hodiernum lambitium prodest maxime. Sed dicat quis, quare adhibes olea quæ humectant. Nonne nocent in omnibus febribus putridis? Respondeo, illud oleum Amygdalarum dulcium non humectat, sed siccat, quia facit euaporare, & aperit obstructionem, prohibet putredinem, & remouet ex toto. Sandali quoq; contemperant humiditatem olei, confortant, exiccant, in eis uis est remouens catarrhum, disponit, aperit, & catarrhus excernitur. Caput statim detondeat usq; ad futuram coronalem, & in petijs tenuissimis applicetur mane tepefactum oxyrhodinon. Sed Mesue uetat, inquit, ubi est catarrhus, oleum non est applicandum capiti, quia facit descensum maiorem. Dico quod non curamus catarrhum, sed materiam in pectore contentam, & prohibemus, ne uapores ascendant ad caput. Præterea accipiemus etiam modicam quantitatem olei, non tantum, ut Mesue utitur, & applicetur illud oxyrhodinon quàm citissime. Frictiones hoc uesperî fiant, ut excitetur, donec præparantur alia medicamenta, & corroboraretur illa inunctione. Inter tussendum sudabat, qui sudor Montano non placuit, putabat enim esse diaphoreticum, quare talia ordinauit:

ʒ. Olei rosati	ʒ 2.
Aceti rosati	ʒ 4.
Fiat oxyrhodinon, quod raso capiti applicetur.	Item
ʒ. Olei rosati completi	ʒ 2.

Species



Specierum cordialium temperatarum			
Rosarum rubearum	ana	3	1.
Seminum citri		3	5.
Croci		G.	6.

Cum modico ceræ albæ, fiat linimentum pro corde.

℞. Syrupi rosati ex multiplici infusione  
Syrupi de acetositate Citri ana 3 1.

Cum aqua acetosæ simplicis. Fiat syrupus in iure pulli macro, in quo decoctæ seminum citri leuiter contractorum 3 4. Propter inopiam herbæ Acetosæ.

℞. Olei amygd. dulcium 3 4.  
Aquæ fontis 3 8.  
Nitri 3 1ij.

Decoquantur ad consumptionem aquæ, fiant inunctiones totius corporis, non frigida, non calida, sed moderata & tepida, Et repetantur linctus hodiernus pro ca tarro, & inunctiones pectoris. Frictio pedum quoq; cum sale hoc uesperis fiat. Conualuit.

Summaria quædam diuisio simplicium febrium, secundum doctrinam Galeni.




Tsi Hipp. lib. 6. Epid. part. 1. Aph. 19. complures febrium differentias enumeret, easq; proprias, utpote quæ ab ipsius febris substantia, nempe calore, caloris item motu, eiusq; subiectis sumuntur, teste Gal. lib. 1. de diff. feb. cap. 1. Gal. tantum tria ubiq; genera febriū ponit: diarias, putridas, hecticas. Quoniã in hæc tria genera omnes differentia Hippi. referri possunt. Quæ de causis & differentijs tum diariarum tum hecticarū dicta sunt satis sunt perspicua. Verum quæ de putridis febribus dicuntur, ab interpretibus, obscuritatem & confusionem habent maximam, eo quod non satis diligenter distinguunt hæc duo uocabula Græca: *συνεχης* & *συνεχης*. Appellemus itaq; nos *συνεχης* continentem, *συνεχης* continuam, tum febrium putridarū, talem constituemus diuisionem. Febres putridæ sunt triplices: pituitosa, biliosa, & melancholica. Nam sanguinea febris putrida nō est: sanguis enim quando putret, degenerat in aliquē ex prædictis humoribus. Iam unaquæq; febris putrida siue pituitosa, siue biliosa, siue melancholica: iterum duplex: intermittens & *συνεχης* seu continens. Intermittens febris est ex putredine humorum extra uasa, & intermittens uocatur, quia desinit ad sensibilem *ἀσπερσία*, id est, in febricitationem. Dico autem sensibilem, quia uera *ἀσπερσία*, id est, perfecta solutio à febre non est, nisi in diaria. Hæc itaq; intermissio conspicitur in quotidiana, quæ unoquoq; die inter mittit aliquot horas, Item in tertiana, quæ alternis diebus, Quartana quoq; quæ duos habet dies intermissionis seu quietis. Porro *συνεχης*, id est, cōtinens, quæ est ex humoribus putrescentibus intra uasa præsertim maxima & insignia, etiam triplex est: Pituitosa seu quotidiana, biliosa seu tertiana, melancholica seu quartana. Sed satius est à materia eas denominare pituitosas, biliosas, & melancholicas. Continens itaq; febris unicam habet accessionem ab initio ad finem, sicut diaria & hectica, à quibus tamen differt, quoniam *συνεχης* pituitosa quotidie post meridiem (quoniam pituita mouetur tempore pomeridiano) habet exacerbationem seu *ἀναδίπλωσις*, id est, reduplicationē, quæ febrem quasi reduplicat, quæ exacerbatio est ueluti paroxysmus, sed iste paroxysmus non finitur ad *ἀσπερσία*, sed desinit ad *παρακμης*, id est, inclinationē, sed febrilem. Hanc licebit itaq; appellare febrem continentem, pituitosam, seu continentem quotidianā. *συνεχης* autem, id est, cōtinens biliosa perpetuo etiam durat, sed tertio quoq; die accipit ueluti




ueluti nouum paroxysmum. Hæc quia corpus febre continente calefactum est, non sicut rigorem aut horrorem. Potest etiam quotidie habere hanc exacerbationem, & tunc erit tertiana continens duplex, quæ ita discerni poterit. Sicuti tertia accessio similis erit primæ: sic etiam quarta similis erit secundæ, & sic deinceps. Hæc continens biliosa duplex est. Vna est quæ sponte ab initio gignitur ex bile putrescente in magnis uasis, quæ tertio quoque die habet exacerbationem, & hæc mutuatur, & retinet nomen generis, & dicitur continens biliosa. Altera quidem non ex se neque statim ab initio nascitur, sed prius incenso sanguine, deinde bilem apprehendit. Hæc à diaria sumit originem, quæ calefacit sanguinem, qui neglectus & non curatus, tandemque putrefactus portione sua tenuiore degenerat in bilem, & dicitur synochos putris, ut distinguatur à synochos non putri, ubi sanguis non putret, sed incalescit tantum, & ad diarias refertur. Iam horum *συνοχος* tres adhuc sunt differentiæ. Est enim *συνοχος ομοτονος* siue *επιμυσησμος*, id est, æqualis uigoris & tenoris, quæ ab initio usque ad finem æqualis persistit. Est item *συνοχος ανεβασησμος* siue *επακμυσησμος*, id est, ascendens atque increpescens, & *παρακμυσησμος*, quæ paulatim ab initio ad finem decrepescit. Sed quare placuit medicis non reformidantibus, Solcecisui uitium (ut inquit Galenus 9. Meth.) nouum excogitare uocabulum hoc, *συνοχος*, Græcis tantum usurpatum; Vt res ipsas diuersas distinctis nominibus efferrent; quia *συνοχος* nullam habet insignem mutationem seu exacerbationem sensibilem. Veluti *συνοχος* dicta febris. *συνοχος* melancholica est febris perpetuo durans, quarto quoque die exacerbationem habens ac nunquam desinens ad infebrecitationem. Sed hæc in sequenti Typo & Figura melius conspicientur.

Febria







FINIS CONSILIORVM DE FEBRIBVS.

G